OFFICIA PROPRIA SANCTORVM & SANCTARVM

Tam de Præcepto, quàm ad Libitum,

A Sacra Rituum Congregatione recognita, & approbata.

Juxta Decreta

SVMMORVM PONTIFICVM

recenter emanata.

Et pro recitantium commoditate, in unum breviter collecta, ordinatèquè dispoſita, atquè reimpreſſa.

Annô Domini 1730.

C R A C O V I Æ.

Typis, Jacobi Matyaſzkiewicz, S. R. M. Celſiſſimi Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Epiſcopi Cracov; Ducis Severiæ, Ord: Typogr.

Imprimatur.

M. MARTINVS WALESZYNSKI, S. Th: DOCTOR & PROFESSOR, CANONICUS Cathedralis Cracovienſis, Premycovienſis & Montis S. GEORGII PRÆPOSITUS, Studij Generalis Vniverſitatis Cracovienſis PROCANCELLARIUS & RECTOR, Librorum per Diæceſim Cracovienſem Ordinarius CENSOR. Datum Cracoviæ in Collegio Majori, Die 25. Septembris, 1730.

Hic Liber est Cantij Surobsinski: Ao 1757mo d. 28. Juny.

OFFICIA SANCTORUM DE PRÆCEPTO.

DIE II. DECEMBRIS.

In Festo S. Bibianæ Virg. & Mart. semiduplex.

Omnia dicuntur de Communi Virg. exceptis his quæ sunt hic propria.

ORATIO.

DEUS, omnium largitor bonorum, qui in famula tua Bibiana cum virginitatis flore Martyrij palmam conjunxisti; mentes nostras ejus intercessione tibi charitate conjunge: ut amotis periculis, præmia consequamur æterna. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

BIbiana Virgo Romana, nobili genere nata, Christiana fide nobilior fuit. Ejus enim Pater Flavianus sub Juliano Apostata, impijssimo tyranno Expræfectus, servilibusq; notis compunctus, ad aquas Taurinas deportatus, Martyr occubuit. Mater Dafrosa, & filiæ primùm conclusæ domi, ut inedia conficerentur; mox relegata mater extra Urbem capite plexa est. Mortuis autem pijs Parentibus, Bibiana cum sorore sua Demetria bonis omnibus expoliatur: Apronianus Urbis Prætor, pecunijs inhians, sorores persequitur; quas humana prorsus ope destitutas, DEO mirabiliter, qui dat escam esurientibus, enutriente, cũ vivaciores vegetioresquè conspexisset, vehementer est admiratus.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

SUadet nihilominùs Apronianus, ut venerentur deos Gentium, amissas ideò opes, Imperatoris gratiam, præclarissimas nuptias consecuturæ. Si secùs fecerint, minatur carceres, virgas, secures. At illæ nequè blanditijs, nequè minis à recta fide declinantes, paratæ potiùs mori, quàm fœdari moribus Ethnicorum, Prætoris impietatem constantissimè detestantur. Quare Demetria ob oculos Bibianæ repentè corruens, obijt in Domino: Bibiana Rufinæ mulieri vaferrimæ seducenda traditur: quæ ab incunabulis edocta Christianas leges, & illibatum servare virgini-

A nita-

nitatis florem, se ipsa fortior, feminæ superavit insidias, & Prætoris astus delusit. ℟. Dilexisti.

Lectio VI.

NIhil autem proficiente Rufina, quæ, præter dolosa verba, illam quotidie verberibus affligebat, ut de Sancto proposito dimoveret, spe sua frustratus Prætor, accensus ira, quòd in Bibiana perdidisset operam, à lictoribus eam denudari, vinctisquè manibus columnæ alligari, eamquè plumbatis cædi jubet, donec efflaret animam. Cujus Sacrum Corpus objectum canibus biduo jacuit in foro Tauri, illæsum tamen, & divinitus servatum: quod deinde Joannes Presbyter sepelivit noctu, juxta sepulchrum sororis & matris ad palatium Licinianum, ubi usq; in præsens extat Ecclesia DEO, Sanctæ Bibianæ nomine, dicata, quam Urbanus Octavus instauravit, Sanctarum Bibianæ, Demetriæ, & Dafrosæ corporibus in ea repertis, & sub ara maxima collocatis.

℟. Afferentur.

In Tertio Nocturno.

Homilia S. Gregorij Papæ in Evangelium, Simile est Regnum Cælorum thesauro abscondito. *ut in Cōmuni non Virginum.*

DIE III DECEMBRIS.

In Festo S. Francisci Xaverij Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm: Conf. non Pontif. præter ea quæ seqvuntur. In hymno ad Matutinum & in 2dâ Vesp: mutatur 3tius Versus.

ORATIO.

DEus, qui Indiarum gentes B. Francisci prædicatione & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti; concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoq; imitemur exempla. Per Dominum nostrum JESUM, &c.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

FRanciscus in Xaverio Diœcesis Pampelonensis, nobilibus Parētibus natus, Parisijs Sancto Ignatio sese comitem & discipulum junxit. Ipso Magistro, eò brevi devenit, ut in rerum divinarum contemplatione defixus, à terra aliquando sublimis elevaretur. Quod illi sacrificanti coram populi multitudine aliquoties evenit. Has animi delicias, magnis sui corporis cruciatibus merebatur. Nam interdicto sibi non carnis solùm & vini, sed panis quoq; triticei usu, vilibus cibis vesci solitus, per biduum subinde triduumquè omni prorsùs alimento abstinuit. Ferreis in se flagellis ita sævijt, ut sæpè copioso cruore difflueret: somnum brevissimum humi jacens carpebat. ℟. Honestum.

Lectio V.

VItæ austeritate ac sanctitate, Apostolico muneri jam maturus,

rus, cùm Joannes III. Lusitaniæ Rex, aliquot nascentis Societatis Viros à Paulo III. pro Indijs postulâsset: S. Ignatij hortatu, ab eodem Pontifice ad tantum opus, cum Apostolici Nuncij potestate deligitur. Eò appulsus, illico variarum gentium difficillimis & varijs lingvis divinitus instructus apparuit. Quin eum quandoq; unico idiomate ad diversas gentes cōcionantem, unaquæquè sua lingua loquentem audivit. Provincias innumeras pedibûs semper, & sæpè nudîs peragravit, Fidem Japoniæ, & sex alijs Regionibus invexit: multa centena millia hominum ad CHRISTUM in Indijs convertit, magnosq; Principes, Regesq; complures sacro fonte expiavit. Et cùm tam magna pro DEO ageret: ea erat humilitate, ut Sancto Ignatio tunc Præposito suo, flexis genibûs scriberet. ℞. Amavit.

Lectio VI.

HUnc dilatandi Evangelij ardorem, multitudine & excellentiâ miraculorum Dominus roboravit. Cæco visum reddidit. Tantum marinæ aquæ signô Crucis convertit in dulcem, quantùm quingentis Vectoribus, qui siti adigebantur ad mortem, diu suffecit: quâ in varias quoq; regiones asportatâ ægri plurimi subitò curati sunt. Plures mortuos revocavit ad vitam, inter quos pridie sepultum erui jussum è tumulo suscitavit, duosq; alios dum efferentur apprehensa eorum manu; parentibus è feretro vivos restituit, prophetiæ spiritu passim afflatus, plurima & loco, & tempore remotissima enuntiavit. Demum in Sanciano Sinarum Insula die 2. Decembris obijt, plenus meritis, laboribusq; confectus. Demortui cadaver viva calce per multos mēses bis obrutum, sed penitus incorruptum, odore & sangvine manavit, & ubi Malacam delatum est, pestem sævissimam confestim extinxit. Deniq; ubiq; terrarum novis maximisq; fulgentem miraculis Gregorius XV. Sanctis adscripsit. ℞. Iste homo.

In Tertio Nocturno.

Evang. Euntes in mundum universum. *Lectiones ex Homil. S. Gregorij, quæ habentur in Festo SS. Cyriaci, Largi, & Smaragdi, die 8. Augusti.*

Missa nova ex Decr: SS. D. Clementis X. impressa cum alijs Missis. *Introitus.* Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar. *Psal.* Laudate Dominum omnes gentes. *Oratio ut supra.*

Epist: ut in Festo S. Andreæ Apost. Evangel. Euntes. *Secreta.* Præsta quæsumus. *Postcomm.* Quæsumus Omnipotens DEUS, *ut in Comm: Confess. non Pontif.*

DIE IV. DECEMBRIS.

In Festo S. Barbaræ Virginis Martyris, Patronæ Regni Poloniæ. Duplex. Omnia de Comm. Virg. Mart.

ORATIO.

DEus, qui inter cætera, &c. *ut in Comm: Virginum.*

In Primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

BArbara Virgo Nicomediensis, ob insignem corporis elegantiam, à Dioscoro Patre nobilissimo Viro, in turrim inclusa, ab omnium oculis arcetur; ubi multa secum piè religiosèquè meditata, tanto Christianæ Religionis amore & servandæ castitatis exarsit; ut non modò nuptias à Patre oblatas respuerit, verùm etiam se Christum colere professa, nefarium Idolorũ cultum magna libertate perstrinxerit. ℟. Propter veritatem.

Lectio V.

DIoscorus ita Filiæ verbis excanduit; ut eam Præsidi Marchiano, quòd à proposito non desisterit excruciandam tradiderit. Is illam primùm blanditijs, præmijs, propositis, & honoribus, ad Paternæ superstitionis cultum est conatus adducere. Cùm verò à fidei constantia, nullis verborum deduci posset illecebris; omnis tormentorum acerbitas in eam convertitur: nervis enim bubulis gravissimè cæsa, in obscurissimum carcerem detruditur: ubi etsi omni humana ope destituta, divinitus tamen curata est.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

QUod ubi senserunt Christianæ fidei hostes, eò furoris atq; dementiæ progressi sunt, ut in eam & carceris maceratione, & lampadum adustione; & mamillarum præcisione suam omnem crudelitatem deprompserint. Neq; tamen his contentus Dioscorus, paternæ charitatis prorsus oblitus, filiæ sua manu caput amputare non dubitavit. Cujus anima in Cælum ad duplicem Virginitatis & Martyrij palmam evolavit.

℟. Afferentur, &c.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII. Cap: 25.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc; simile est Regnum Cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam Sponso & Sponsæ. Et reliqua.

De Homilia S. Joãnis Chrysost.

Homil. 79. in Matth. circa medium.

POst ingentes labores, post incredibiles sudores, & acerrimas pugnas, post trophæa, quæ de naturæ rabie statuerunt, resurgunt cum dedecore, & lampadibus earum extinctis, terram aspicientes recedunt. Nihil sanè tenebrosius est, quàm Virginitas oleo carens; unde sic vulgò multi, immisericordes, tenebrosos solent appellare. Quid igitur ex Virginitate

tate lucratæ sunt, quæ nec Sponsum quidem viderunt, nec saltem ad pulsandum usquè pervenerunt, sed terribile illud verbum audivêre: Abite, nescio vos. ℟. Hæc est Virgo &c.

Lectio VIII.

QUod cùm ipse dixerit, nihil aliud quàm gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur; imò verò etiam gehenna istud verbum gravius est: hoc verbum stopperantibus etiam iniquitatem dixit Vigilate, quia nescitis diem neq; horam. Crebrò id repetit, ut ignorantiam exitus ab hac vita, utilem esse ostendat. Ubi sunt ergo, qui per totam vitam desidia torpescunt, & quando à nobis admonentur, respondere non dubitant, omnia se pauperibus moriendi tempore relicturos. ℟. Media nocte &c.

Lectio IX.

AUdiant hæc verba, & emendent se: multi enim abeundi tempus expectantes, ita repête rapti sunt, ut nec injungere suis quidquam potuerint. Sed hæc quidem parabola, ejus eleëmosynæ gratia, quæ cum pecunia conficitur, dicta est. Cur autem hæc parabola Spõsum adducit? ut videas quantum Virginibus CHRISTUS afficitur ijs, quæ sua pauperibus erogant: hæc enim & vera Virginitas est. Nam & Paulus huic rei hanc descriptionem attribuit dicens; innupta solicita est de ijs, quæ Domini sunt, ut sit Sancta corpore & spiritu.

Te DEUM laudamus, &c.

DIE V. DECEMBRIS.

In Festo S. Petri Chrysologi Episcopi & Confessoris. Duplex. cadens in Regno Poloniarum ex hesterna die, propter occurrentiam Festi S. Barbaræ Virg. Mart. Patronæ Reg. Pol.

Omnia de Communi Conf. Pontificis, præter ea, quæ hic habentur propria.

In Hymno mutatur 3tius ℣.

Ad Magnificat. Antiph.

O Doctor optime, &c.

ORATIO.

DEus, qui Beatum Petrum Chrysologum, Doctorem egregium, divinitus præmonstratum ad regendam, & instruendam Ecclesiam tuam eligi voluisti, præsta quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum nostrum, &c.

In Primo Nocturno. Lectiones de Cõmuni Conf. Pont. 1. loc. Fidelis sermo.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

PEtrus, qui ob auream ejus eloquentiam Chrysologi cognomen adeptus est, Foro Cornelij in Æmilia honestis Parentibus natus, à prima ætate animum ad Religionem adijciens, Cornelio Romano tunc ejusdem Urbis Corneliensis Episcopo, operam dedit: à quo etiam scientia, & vitæ Sanctitate cùm brevi profecisset, Diaconus

crea.

creatus est. Postmodùm contigit, ut Ravennates ob mortem Archipræsulis sui alium (ut moris erat) ab eis electum, Romam ad Sanctū Sixtum Papam Tertium pro confirmatione miserint unà cum Legatis suis, & prædicto Cornelio, qui eum jam Levitam secum perduxit. Interim S. Petrus Apostolus, & Martyr Apollinaris Summo Pontifici in somnis apparuerūt, mediumq; habentes hunc Juvenem, jusserunt, ut illum, & non alium, in Archiepiscopum Ravennæ crearet. Hinc Pontifex, mox ut vidit Petrum, cognovit eum à Domino Deo præelectum: propterea rejecto illo, quem ipsi offerebant, hunc solum, anno Christi quadringentesimo trigesimo tertio, illi Metropolitanæ præfecit Ecclesiæ. Quod cùm Legati Ravennatenses ægrè ferrent, audita visione, Divinæ voluntati libenter acquiescentes, novum Archiepiscopum maxima cum reverentia susceperunt.

℟. Inveni David &c.

Lectio V.

PEtrus igitur, licèt invitus in Archipræsulem consecratus Ravennam deducitur: ubi à Valentiniano Imperatore, & Galla Placidia ejus matre, ac ab universo populo maxima lætitia exceptus est. Et ille ab eis id unum petere dixit, ut quando tantum oneris pro ipsorum salute subire non recusavit, studerent ipsi monitis suis obtemperare, Divinisq; præceptis non obsistere. Duorum Sanctorum tunc ibi defunctorum corpora, optimis ungventis condita sepelivit, Barbatiani videlicèt Presbyteri, & Germani Antisiodorensis Episcopi; cujus etiam cucullam, & cilicium sibi vendicavit in hæreditatem. Projectum & Marcellinum in Episcopos ordinavit. In Classe fontem extruxit magnitudinis verè admirabilis, & Templa quædam magnifica ædificavit, tum Beato Andreæ Apostolo, tum alijs Sanctis. Ludos ab hominibus personatis cum varijs saltationibus Kalendis Januarij fieri solitos concione cohibuit acerrima; ubi inter alia illud præclarè dixit: Qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Jussu Sancti Leonis Papæ Primi, scripsit postea ad Chalcedonense Concilium adversùs hæresim Euthychetis. Respondit præterea ad Euthychem ipsum, & alià epistolà, quæ eidem Cōcilio in novis editionibus præfixa, & in Annales Ecclesiasticos relata fuit.

℟. Posui adjutorium &c.

Lectio VI.

DUm publicè sermones haberet ad populum, adeò vehemens erat in docendo, ut præ nimio ardore vox illi interdum defecerit: sicut contigit in concione mulieris Hæmorrhoissæ. Unde Ravennates commoti, tot lacrymis, cla-

mori-

moribus, & orationibus locum repleverunt: ut postea ipse gratias ageret DEO; quòd in lucrum amoris verterit damnum ejusdem sermonis. Cùm tandem annos circiter decem & octo eam Ecclesiam sanctissimè rexisset, laborum suorum finem adesse divinitus prænoscens, in Patriam se contulit. Ubi Sancti CASSIANI Templum ingressus, magnum Diadema aureum, gemmis distinctum pretiosissimis offerens, super Altare majus posuit, nec non aureum craterem, & patenam argenteam, quam tum rabidi canis morsus, tum febres sanare sæpiùs expertum est, aquâ inde demissâ. Ex tunc Ravennates, qui eumdem secuti fuerant, dimisit, admonens, ut in eligendo optimo Pastore invigilarent attentè. Mox DEUM humiliter precatus, & Sanctum CASSIANUM Patronum, ut benignè animam ejus exciperet; tertio nonas Decembris placidè ex hac vita migravit, anno Domini circiter quadringentesimo quinquagesimo. Sacrum illius Corpus cõmuni totius Civitatis fletu, ac pietate, propè Corpus ejusdem Sancti CASSIANI honorificè conditum nostris etiam temporibus religiosè colitur: cujus tamen brachium, aurô & gemmis ornatum Ravennam delatum in Ursiana Æde veneratur.

℣. Iste est qui &c.

In Tertio Nocturno.

Homilia S. Augustini Episcopi in Evangelium. Vos estis sal terræ. *Ex Comm: Doctorum.*

DIE VIII. DECEMBRIS.

In Festo Conceptionis B. M. Virginis. Duplex 2dæ Classis.

Omnia ut notantur in Breviario & in primis Vesperis fit comm: S. Ambrosij, & Feriæ occurrentis.

DIE IX. DECEMBRIS.

Secunda Die.

Infra Octav: Conceptionis.

Officium de Octava dicitur, ut in die Festi, præter Lectiones, quæ dicuntur, ut infra assignantur.

In 1. Noct. Lect. de script. occurr.

℟℟. *ut in 1. Noct. diei festi.*

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 18. de Sanctis in med.

Lectio IV.

EXultat MARIA, & Matrem se lætа miratur, & de SPIRITU S. se peperisse gaudet: nec quia peperit innupta, terretur; sed quia genuerit, cum exultatione miratur. O Fœmina super fœminas benedicta, quæ virum omnino non novit, & Virum suo utero circumdedit! Circumdat Virum MARIA, Angelo fidem dando, quia Eva perdidit virum, serpenti consentiẽdo. O fælix obedientia, ô insi-

gnis gratia! quæ dum fidem humiliter dedit, cæli in se Opificem corporavit. Hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodùm auxit. Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℟. Conceptio gloriosæ &c.

Lectio V.

O Beata MARIA, quis tibi dignè valeat jura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito. Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuô commerciô recuperandi aditum invenit? Accipe itaq; quascumq; exiles, quascumq; meritis tuis impares gratiarum actiones: & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis.

℟. Cum jucunditate &c.

Lectio VI.

SIt per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus: quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus delictorū veniam, & in Te Beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta MARIA, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicunq; celebrant tuam sanctam Conceptionem.

℟. Conceptio tua &c.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII. Cap: 1.

LIber generationis JESU Christi, Filij David, Filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presb.

Lib. 1. Cōment: in Matth: in init.

IN Isaia legimus: Generationem ejus quis enarrabit? Non ergo putemus Evangelistam Prophetæ esse contrarium, ut quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione divinitatis, hìc de incarnatione est dictum. A carnalibus autem cæpit, ut per hominem, DEUM discere incipiamus: Filij David, Filij Abraham. Ordo præposterus, sed necessariò commutatus. Si enim primùm posuisset Abraham, & postea David, rursus ei repetendus fuerat Abraham, ut generationis series texeretur.

℟. Beatam me dicent &c.

Lectio VIII.

IDeò autem cæteris prætermissis, horum filium nuncupavit: quia ad hos tantùm facta est de Christo repromissio. Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes, quod est

CHRI-

Christus. Ad David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Notandum, in genealogia Salvatoris nullam Sanctarum assumi mulierum, sed eas, quas scriptura reprehendit; ut, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret. Unde & in consequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Bethsabée uxor Uriæ. ℟. Felix namq; &c.

Lectio IX.

JAcob autem genuit Joseph. Hũc locum objecit nobis Julianus Augustus de dissonantia Evangelistarum, cur Evangelista Matthæus, Joseph dixerit filium Jacob, & Lucas eum filium appellârit Heli: non intelligens consuetudinem scripturarum, quòd alter secundùm naturam, alter secundùm legem ei Páter sit. Scimus enim hoc per Moysen Deo jubente præceptum, ut si frater, aut propinqvus absq; liberis mortuus fuerit, alius accipiat uxorem ad suscitandum semen fratris, vel propinqui sui. Joseph Virum Mariæ. Cùm Virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum; sed recordare consvetudinis scripturarum, quòd Sponsi Viri; & Sponsæ vocentur uxores. Te Deum.

Vespera de Octav. cum comm: Feriæ, ac S. Melchiadis Papæ & Martyris.

DIE X. DECEMBRIS.

Tertia Die

Infra Octavam Conceptionis.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.
℟℟. ut in I. Noct. diei Festi.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm: in Cap: 12. Apoc: Lectio IV.

NOvum fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret Virum, nec alium quàm Christum, de quo dicitur: Ecce Vir, Oriens nomen ejus. Novum quoq; fecit in cælo, ut mulier sole appareret amicta. Deniq; & coronavit eum, & vicissim ab eo meruit coronari: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua. Verùm hoc aliàs. Interim sanè ingredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius suus. In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim. ℟. Conceptio gloriosæ.

Lectio V.

DIgnum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clariùs micans, ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis. Quidni coronent sidera: quam sol vestit? Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Nimirùm, læva Sponsi sub capite ejus, & jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æstimet gemmas? quis stellas nominet? quibus Mariæ, regium diadema compa-

ctum est. ℟. Cum jucunditate.

Lectio VI.

QUid ergo sidereum micat in generatione MARIÆ? planè quòd ex regibus orta, quòd ex semine Abrahæ, quòd generosa ex stirpe David. Si id parùm videtur, adde quòd generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis, divinitus noscitur esse concessa: quòd longè ante eisdem patribus cælitus repromissa, quòd mysticis præfigurata miraculis, quòd oraculis prænuntiata propheticis. Hanc enim Sacerdotalis virga, dum sine radice floruit: hanc Gedeonis vellus dum in medio siccæ areæ maduit: hanc in Ezechielis visione orientalis porta, quæ nulli unquam patuit, præsignabat.

℟. Conceptio tua.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII. *Cap: I.*

LIber generationis JESU Christi, Filij David, Filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Episcopi.

Comment: in Matth: Cap: 1.

NOn refert quis in originis numero, atq; ordine collocetur, dummodò universorum familia cœpta esse intelligatur ab uno. Itaq; cùm ejusdem tribus sit JOSEPH ac MARIA, dum profectus esse ex Abrahæ genere JOSEPH ostenditur, profecta quoq; docetur & MARIA. Hæc enim in lege ratio servata est, ut si mortuus sine filijs familiæ Princeps esset, defuncti uxorem posterior frater ejusdem cognationis acciperet, susceptosq; filios in familiam ejus, qui mortuus esset, referret; maneretq; ita in primogenitis successionis ordo, cùm Patres eorum, qui post se nati essent, aut nomine haberentur, aut genere. ℟. Beatam me dicent.

Lectio VIII.

SEquens illud est, ut quia diximus secundùm rerum fidem generationis istius ordinem, nec numero sibi, nec succeslione constare, hujus quoq; rei ratio afferatur. Non enim levis causa est, ut aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis: & aliud referatur in summa, aliud verò teneatur in numero. Namq; ab Abraham usq; ad David quatuordecim generationes numeratæ sunt, & à David usq; ad transmigrationem Babylonis in quibusdam libris decem, & septem deprehenduntur. Sed in hoc non mendacij, aut negligentiæ vitium est. Tres enim ratione prætеritæ sunt. Nam Joras genuit Ochoziam, Ochozias verò genuit Joam, Joas deinde Amasiam, Amasias autem Oziam: & in Matthæo, Joras Oziam genuisse scribitur, cùm quartus ab eo sit.

sit. Hoc ita, quia ex gentili fœmina Joras Ochoziam genuit, ex Achab scilicet, qui Jezabel habuit uxorem. ℟. Felix namque.

Lectio IX.

DEniq; per Prophetam non nisi quarta generatione in throno regio Israëlis quemquam de domo Achab esse sessurum dicitur. Purgata igitur labe familiæ gentilis tribus, quæ præteritis jam regulis, in quarto generationum cõsequentium ordine numeratur, & usq; ad MARIAM generationes quatuordecim esse scribuntur, cùm in numero decem & septem reperiãtur, nullus error esse poterit scientibus non eam solùm esse Domino nostro JESU Christo originem, quæ cæpit ex MARIA: sed in procreatione corporea nativitatis æternæ significantiam comprehendi. Te DEUM.

Ad Laudes comm: Feriæ & S. Melchiadis Papæ & Martyris. Vesp: à Cap: de S. Damaso Papa & Confess. cum commem: Oct & Feriæ.

DIE XI. DECEMBRIS.

Quarta Die.

Infra Octav: Conceptionis.

Fit de S. Damaso Papa & Confess. semid: cum com: Octav: & Feriæ.

Vesp: à Cap: de Octav: cum commem: S. Damasi & Feriæ.

DIE XII. DECEMBRIS.

Quinta Die.

Infra Octav: Conceptionis.

In 1. Noct: Lect: de Script: occur- ℟℟. *ut in 1. Noct: diei Festi.*

In Secundo Nocturno.

Ex libro S. Epiphanij Episcopi adversùs hæreses.

Lib: 3. hæresi 78. post medium.

Lectio IV.

BEata Mater DEI MARIA per Evam significatur, quæ per ænigma accepit, ut Mater viventium vocetur. Illa etenim Mater viventium vocata est, etiam postquam audivit: Terra es, & in terram reverteris, post transgressionem. Et mirum est, quòd post transgressionem hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem sensibilem, ab illa Eva omnis hominum generatio deducta est in terra: hic autem verè à MARIA, hæc vita mundo genita est, ut viventem gigneret, & fieret MARIA Mater viventium. Per ænigma igitur MARIA Mater viventium appellata est. ℟. Conceptio gloriosæ.

Lectio V.

EVæ datum est operire corpus sensibile, propter nuditatem sensibilem: MARIÆ verò datum est à DEO, ut pareret nobis Agnum & ovem, & ex gloria ipsius Agni & ovis fieret nobis velut à vellere in sapientia per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis. Eva etiam mortis causa facta est hominibus: per ipsam enim mors ingressa est in mundum: MARIA verò causa vitæ, per quam genita

est nobis vita, & per hanc Filius Dei advenit in mundum: & ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit & gratia: & unde illata est mors, illinc processit & vita, ut vita pro morte fieret: & qui per mulierem nobis vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet. Et quoniam illic Eva, cùm adhuc esset virgo, per inobedientiam transgressa est: è contrario per Virginem obedientiæ gratia facta est, annuntiato adventu in carne de cælo, & vita æterna. ℟. Cum jucunditate.

Lectio VI.

DE MARIA accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod scriptum est de Ecclesia. Relinquet homo Patrem suum, & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sanctus autem Apostolus dicit: Mysteriū hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Et vide scripturarū accuratam dicendi proprietatem, quod de Adam quidem dixit, formavit: de Eva verò, non formatam esse, sed ædificatam. Accepit enim, inquit, unam de costis ejus, & ædificavit ipsi in uxorem. Quo ostendat, Dominum quidem de Maria efformasse sibi ipsi corpus, ab ipsa verò costa ædificatam esse Ecclesiam, in eo quòd punctum, & apertum est ipsius latus, & mysteria sangvinis & aquæ, pretia redemptionis facta sunt. ℟. Conceptio tua.

In Tertio Nocturno.

Lectio S: Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII. Cap: 1.

LIber generationis JESU Christi, Filij David, Filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil: 2. in Matt: post init.

AUditu quidem mirabile est, quòd ineffabilis Deus, & qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus comprehendi, Patriq; per omnia coæqualis, per Virginis ad nos venit uterum, & fieri ex muliere dignatus est, & habere progenitores David & Abraham: & quid dico David & Abraham? etiam illas, quod magis stupendum est, fœminas, quas paulò ante memoravi. Hæc igitur audiens mente consurge, nihilq; humile suspiceris, sed potiùs propter hoc ipsum maximè mirare, quia cùm verus & dilectus Filius sit sempiterni Dei, etiam Filius David esse dignatus est, modò ut te filium faceret Dei: servum Patrem habere dignatus est, ut tibi servo Patrem faceret ipsum Deum. ℟. Beatam me dicent omnes.

Lectio VIII.

VIdes ab ipso statim principio, quàm læta sint hæc nuncia. Quòd si ambigis de his, quæ ad

tuum spectant honorem, ab ijs, quæ illius sunt, etiam tua disce credere. Quantum enim consequi potest humana ratio, multò est difficiliùs DEUM Hominem fieri, quàm hominem DEI Filium consecrari. Cùm ergo audieris, quia Filius DEI, Filius sit & David, & Abrahæ; dubitare jam desine, quòd & tu, qui filius es Adæ, futurus sis filius DEI. Non enim semetipsum ita humiliasset, nisi nos esset exaltaturus. Natus est enim secundùm carnem, ut tu nascerere spiritu; natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.

℟. Felix namquè.

Lectio IX.

PRopterea duplex facta generatio est; hæc scilicet nostræ similis, illa nostram eminenter excedens. Quòd enim natus ex fœmina est, & nobis competit: quòd verò non ex sangvine, neque ex voluntate carnis, aut viri, sed ex Spiritu Sancto, aliam nobis sublimiorem futuramq; & spiritu consequendam generationem promittit. Sed alia quoq; omnia exsimili diversitate constabant. Nam & baptisma profectò tale suscepit, quod haberet quidem aliquid veteris, haberet & novi. Quòd enim baptizatus est à Propheta, expressit vetus: quòd autem descendit Spiritus, adumbravit novum.

Te DEUM laudamus.

In Laudibus fit commem. Feria.

Vespera de S. Lucia Virg: & Mart. cum comm: Oct: Concept: & Fer.

DIE XIII. DECEMBRIS.

Sexta Die.

Infra Oct: Conceptionis.

Fit de S. Lucia duplex cum comm. Octava & Feria.

DIE XIV. DECEMBRIS.

Septima Die.

Infra Oct: Conceptionis.

In primo Nocturno Lectiones de Script. occurr. ℟℟. *ut in 1. Nocturno diei festi.*

Et si hac die occurrat Fer: jv. Quatuor Temporum, servetur Rubrica posita in die Octava sequenti.

In Secundo Nocturno.

Ex Epistola S. Ambrosij Episcopi ad Siricium Papam.

Epist: 81. al: 7. Lectio IV.

DE via perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non Virgo generavit. Potuit ergo Virgo concipere, non potuit Virgo generare, cùm semper conceptus præcedat, partus sequatur? Sed si doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur oraculis CHRISTI, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile DEO omne verbum. Credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat. Audivit MARIA vocem Angeli, & quæ ante dixerat: Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce an-

cilla Domini. contingat mihi secundùm verbum tuum.

℟. Conceptio gloriosæ.

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri adversùs Jovinianum.

Ex Apolog: ad Pammachium pro libro adversùs Iovinianum, in fine,

Lectio V.

CHRISTUS Virgo, Mater Virginis nostri Virgo perpetua, Mater & Virgo. JESUS enim clausis ingressus est ostijs: & in sepulchro ejus, quod novum, & in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec posteà positus est. Hortus conclusus, fons signatus, de quo fonte ille fluvius manat, juxta Jóël, qui irrigat torrentem, vel funium, vel spinarum: funium, peccatorum, quibus ante alligabamur; spinarum, quæ suffocant sementem patrisfamilias. Hæc est porta Orientalis, ut ait Ezechiel, semper clausa & lucida, operiens in se, vel ex se proferens sancta sanctorum, per quam Sol justitiæ, & Pontifex noster secundùm ordinem Melchisedech ingreditur, & egreditur. ℟. Cum jucunditate.

Ex libro S. Irænei Episcopi, & Martyris adversùs hæreses.

Lib: 5. Cap: 19. Lectio VI.

IN sua propria veniente Domino, & sua propria eum bajulante conditione, quæ bajulatur ab ipso, & recapitulationem ejus, quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eã, quæ in ligno est, obedientiam faciente, & seductione illa soluta, qua seducta est malè illa, quæ jam viro destinata erat Virgo Eva; per veritatem evangelizata est benè ab Angelo, jam sub Viro Virgo MARIA. Quemadmodum enim illa per Angelicum sermonem seducta est, ut effugeret DEUM, prævaricata verbum ejus: ita & hæc per Angelicum sermonem evangelizata est: ut portaret DEUM, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est, ut effugeret DEUM; sic hæc suasa est obedire DEO, ut Virginis Evæ, Virgo MARIA fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morte genus humanum, per Virginem, solvatur per Virginem: æqua lance disposita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. ℟. Conceptio tua.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII. Cap: 1.

LIber generationis JESU Christi Filij David, Filij Abraham, Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia S. Joãnis Chrysostomi.

Vnde supra, paulo post.

CUjus verò rei gratia librum ipsum generationis CHRISTI vocat, ubi non sola utiq; generatio; sed tota prorsùs ipsius mysterij dispensatio continetur; quia totius scilicet dispensationis caput, radix, atq; principium omnium

nobis

nobis in hoc consistit bonorum. Ut enim Moyses librum cæli appellavit ac terræ, cùm certè non de cælo solùm terraq; loqueretur: sed de cunctis, quæ inter ipsa subsistunt: ita etiam Evangelista ab ipso omnium fonte, & capite bonorum librum vocavit.

℟. Beatam me dicent.

Lectio VIII.

QUa verò de causa non eum ante Filium Abrahæ, & posteà Filium David nuncupavit? Non, sicut opinantur aliqui, ab inferioribus volens ad superiora conscendere. Cæterùm fecisset, quod fecit & Lucas: nunc autem è contrario facit. Cur ergo commemoravit priorem David? Quia ipse procul dubio in omnium versabatur ore, ob insigne honoris & gloriæ, ob ipsius quoquè temporis spatia junctiora. Etsi enim utriq; promiserat DEUS, sed tamen illud quasi antiqvum reticebatur: hoc verò quasi novum & recens ab omnibus celebrabatur.

℟. Felix namquè.

Lectio IX.

IPsi namq; Judæi dicunt: nonne ex semine David, & Bethleem castello, unde erat David, venit Christus? Nemo igitur illum filium Abrahæ, sed omnes filium David nominabant: qui etiam honorabiliores quosq; de sanctitate Reges, qui post David fuisse referuntur, ab illo omnes vocabant. Nec ipsi solùm, verùm etiam DEUS. Nam & Ezechiel, & alij Prophetæ dicunt, David surrecturum esse eis, atq; venturum, non de illo utiq; mortuo jam loquentes: sed de ijs, qui illius virtutem erant imitaturi. Propterea igitur à notiore interim & celebratiore persona sumit exordium; & tum demum ad antiquiorem recurrit parentem.

Te DEUM laudamus.

In Laudibus fit commem: Feriæ.

Ad Vesperas duplex, ùt in primis Vesperis diei festi.

DIE XV. DECEMBRIS.

In Octava.

Conceptionis B. V. M. Duplex.

Omnia ut in die.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr. ℟℟. *ut in 1. Noct. diei Festi.*

Et si occurrat. Feria Quatuor Tempoporum Lect: 1. Noct: erunt de Parabolis Salomonis. Ego Sapientia habito. *ut in Breviar: in festo ad Nives 5. Augusti, & 9. Lect: de Homilia Quatuor Temporũ, & de ea fit commem: in Laud.*

In Secundo Nocturno.

De Expositione S. Gregorij Papæ in libros Regum.

In 1. Reg: 1. Lect: IV.

FUit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nomine Beatissima semper Virgo MARIA, Dei-genitrix, designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignita-

te transcendit. An non mons sublimis, MARIA, quæ ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usq; ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo MARIÆ supra omnes Sanctos refulsit. ℟. Conceptio gloriosæ.

Ex Epistola S. Leonis Papæ ad Pulcheriam Augustam.

Epist. 13. ante med. *Lectio V.*

SAcramentum recōciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum, nullæ implebāt figuræ; quia nondum supervenerat Spiritus S. in Virginem, nec virtus Altissimi obumbraverat ei, ut & intra intemerata viscera, ædificante sibi Sapientia Domum, Verbum Caro fieret, & forma DEI, ac forma servi in unam conveniente personam, Creator temporum nasceretur in tempore, & per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia, gigneretur. Nisi enim novus homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem, & consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur & Matri, naturamq; sibi nostram solus à peccato liber uniret; sub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas. ℟. Cum jucūditate.

De Expositione S. Basilij Episcopi in Isaiam Prophetam.

In cap: 8. post init. *Lectio VI.*

ACcessi, inquit, ad Prophetissam & in utero accepit, & peperit filium. Quòd MARIA Prophetissa fuerit, ad quam proximè accessit Isaias per prænotionem spiritus, nemo contradixerit, qui sit memor verborum MARIÆ, quæ prophetico afflata spiritu, elocuta est. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in DEO salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quòd si animum accommodaveris universis ejus verbis, non utiq; contentiosè negaveris eam fuisse Profetissam, quòd Domini Spiritus in eam supervenerit, & virtus Altissimi obumbraverit ei.

℟. Conceptio tua.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII. *Cap: 1.*

LIber generationis JESU Christi Filij David, Filij Abraham, Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia S. Joānis Chrysostomi.

Vnde suprà, paulò post.

DUo sunt, quæ pariunt quæstionem. Unum, quæ causa sit, ut in generationum catalogo Virgo

go sileatur; alterum verò qua ratione Joseph memoretur, cui certè nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim & unum abundare, & alterum deesse. Quid ergo dicemus? quòd utiq; primum illud necesse fuerit memorari, quemadmodum ex David Virgo descenderit. Unde hoc itaq; discemus? Audi ad Gabriel loquentem Dominum: Vade ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, ex domo, & familia David. Quid vis audire manifestius, cùm ex domo, & familia David illam Virginem esse cognoscas?

℟. Beatam me dicent.

Lectio VIII.

NOn erat mos apud Hæbræos, generationum catalogum per fœminas texere. Ut ergo & morem custodiret, (neve in ipso statim principio videretur antiqua destruere;) & nobis Virginem certius indicaret: parentes ejus reticens, atq; majores, de Joseph generatione non tacuit. Sive enim hæc fecisset in Virgine, novitatis non effugisset invidiam; sive Joseph reticuisset, non agnosceremus ex qua tribu Virgo subsisteret. Ut ergo & nos discerneremus, quæ esset MARIA, vel unde & consuetudo legis permaneret immobilis: generationum catalogum usq; ad sponsum ejus perduxit, ac de domo illum David esse monstravit.

℟. Felix namque.

Lectio IX.

HOc enim declarato, illud quoq; pariter ostendit, quòd scilicet inde esset & Virgo, quia utiq; nequaquam justus iste pateretur uxorem sibi aliunde, quàm unde lex præcipiebat; eligere. Possumus verò aliam quoq; & altiorem quidem proferre rationem, ob quam Parentes Virginis prætermissi sunt. Sed quæ ea est? Noluit Evangelista recenti adhuc tempore novi illius, admirandiq; partus Judæis esse manifestum, quòd Christus natus fuisset ex Virgine. Neq; proprius noster hic sermo est, sed à nobis de Patrum, atq; insignium virorum traditione susceptus.

Te DEUM laudamus.

In Laudibus fit commemoratio Feriæ.

DIE XVI. DECEMBRIS.

In Festo S. Eusebij Episcopi & Martyris semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea, quæ hîc assignantur.

ORATIO.

DEUS, qui nos Beati Eusebij Martyris &c. *ut in eodem Cõm: unius Mart. Deinde fit Commemoratio Feriæ Adventûs.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

EUsebius natione Sardus, Romanæ Urbis Lector, pòst Vercellensis Episcopus, ad hanc regendã Ecclesiam meritò est creditus, Divino

vino electus judicio; nam quem nunquàm antè constituti Electores cognoverant, posthabitis civibus, simul ùt viderunt, & probaverũt, tantùmq; interfuit, ut probaretur, quantùm ut videretur. Primus in Occidentis partibus in eadem Ecclesia eosdem Monachos instituit esse, quos Clericos, ut esset in ipsis viris, & contemptus rerum, & accuratio Levitarum. Arianis impietatibus eâ tempestate per Occidentem longè, latèque traductis, adversus eas viriliter sic dimicavit, ut ejus invicta fides Liberium Summum Pontificem ad vitæ solatium erigeret. Quare hic sciens, in ipso fervere Spiritum DEI, cùm ei significâsset, ut penes Imperatorem unà cum suis Legatis patrocinium Fidei susciperet, mox cum illis profectus est ad Constãtium, apud quem enixiùs agens, quidquid legatione petebatur, obtinuit, ut Episcoporum nempe cætus celebraretur.

Lectio V.

COllectum est Mediolani anno sequenti Concilium, ad quod à Constantio invitatum Eusebium, concupitumq; ac vocatum à Liberij legatis, tantùm abest, ut malignantium Synagoga Arianorum contra Sanctum Athanasium furentium in suas partes adduceret, ut potiùs disertè statim ipse declarans, è præsentibus quosdam sibi compertos hæreticâ labe pollutos, Nicænam primò fidem proposuerit ijs subscribendam, antequàm cætera tractarentur. Quod Arianis acerbè iratis negantibus, nedùm in Athanasium recusavit ipse subscribere, quin Sancti Dionysij Martyris, qui deceptus ab ipsis subscripserat, captivatam simplicitatem ingeniosissimè liberavit. Quamobrem illi graviter indignãtes, post multas illatas injurias, exiliô illum mulctârunt; sed Sanctus Vir excusso pulvere, nec Cæsaris minas veritus, nec enses obstrictos, exilium veluti sui ministerij officium accepit, missusque Scythopolim, famem, sitim, verbera, diversaquè supplicia perpessus, pro fide strenuè vitam contempsit, mortem non metuit, corpus carnificibus tradidit.

Lectio VI.

QUanta in eum tunc Arianorũ crudelitas fuerit, ac effrons inverecundia, ostendunt graves literæ plenæ roboris, pietatis, ac religionis, quas è Scythopoli scripsit ad Vercellensem Clerum, & populum aliosquè finitimos, è quibus etiam est exploratum, ipsorum nec minîs, inhumanàque sævitiâ potuisse unquam eum deterreri, nec serpentina blanda subtilitate ad eorum societatẽ perduci. Hinc in Cappadociam, postremòq; ad superiores Ægypti Thebaidas præ constantia sua deportatus, exilij rigores tulit ad mortem usq; Constan-

stantij, post quem ad gregem suum reverti permissus, non priùs redire voluit, quàm reparandis fidei jacturis ad Alexandrinam Synodum sese conferret, postquè Medici præstantis instar, peragrans Orientis provincias, in fide infirmos ad integram valetudinem restitueret: eos instituens in Ecclesiæ doctrina. Inde salubritate pari digresso in Illyricum, tandemq; in Italiam delato, ad ejus reditum lugubres vestes Italia mutavit; ubi postquàm Psalmorum omnium expurgatos à se commentarios Origenis edidit, Eusebijqué Cæsareensis, quos verterat de Græco in Latinum, demùm tot egregiè factis illustris ad immarcescibilem gloriæ coronam, tantis ærumnis promeritam, sub Valentiano, & Valente, Vercellis migravit.

In Tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorij Papæ in Evangelium. Si quis vult post me venire. *ut in Communi unius Martyris secundò locò.* ℟. viij. Domine prævenisti.

In Laudibus, fit comm. Feriæ Adventûs.

Missa. Sacerdos DEI, *ùt in eodem Communi secundò locò, & fit commemoratio Feriæ.*

DOMINICA II.
post Epiphaniam,
Officium SSmi Nominis JESU,
Duplex secundæ Classis.

Ad Vesperas Antiphona.

OMnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Psalmus* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psal.* Credidi. *Antiph.* Sanctum & terribile nomen ejus: initium sapientiæ timor Domini. *Ant.* Ego autem in Domino gaudebo; & exultabo in DEO JESU meo. *Antiph.* A solis ortu usq; ad occasum, laudabile nomen Domini. *Antiph.* Sacrificabo hostiã laudis & nomen Domini invocabo.

Capitulum.

FRatres, CHRISTUS humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine JESU omne genu flectatur.

HYMNUS.

JESU dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed super mel & omnia,
Ejus dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm JESUS DEI Filius.
JESU, spes pænitentibus,
Quàm pius es petentibus!
Quàm bonus te quærentibus!
Sed quid invenientibus?
Nec lingva valet dicere,
Nec litera exprimere;
Expertus potest credere,
Quid sit JESUM diligere.
Sis JESU nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium.

Sit nostra in Te gloria,
Per cuncta semper sæcula. A.

℣. Sit nomen Domini benedictũ, Alleluia. ℟. Ex hoc nunc & usq; in sæculum, Alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus, Alleluja.

ORATIO.

DEUS, qui Unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, & JESUM vocari jussisti: concede propitius; ut, cujus sanctum nomen veneramur in terris, ejus quoq; aspectu perfruamur in cælis. Per eundem Dominum nostrum.

Deinde fit commemoratio Dominicæ secundæ post Epiphaniam.

Ad Completorium & per Horas diei, in fine Hymni dicitur. JESU, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Admirabile nomen JESU, quod est super omne nomen. * Venite adoremus. *Psal.* Venite.

HYMNUS.

JESU, Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.
JESU dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
JESUM omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite;
JESUM ardenter quærite,
Quærendo inardescite.
Te nostra JESU vox sonet,
Nostri Te mores exprimant,
Te corda nostra diligant,
Et nunc & in perpetuum. A.

In primo Nocturno Antiphona.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. *Psalm.* Domine Dominus noster. *cum reliquis ùt in Officio parvo B. MARIÆ. Psalmus verò iste, incipitur in secundo versu.*

Quoniam elevata est. *Ant.* In nomine JESU omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. *Psalm.* Cæli enarrant. *Ant.* Confitemini Domino, & invocate nomen ejus; mementote, quoniam excelsum est nomen ejus. *Psalm.* Domini est terra. ℣. Propter Nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo. ℟. Multum est enim.

De Actibus Apostolorum.

Lectio I. Cap: 3.

PEtrus autem & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introëuntibus in templum.

plum. Is cùm vidisset Petrum & Joãnem incipientes introire in templum, rogabat ut elèëmosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine JESU Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum. Et protinus consolidatæ sunt bases ejus, & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans DEUM. ℞. Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JESUM: * Ipse enim salvũ faciet populum suum à peccatis eorum. ℣. Vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur. Ipse enim salvum.

Lectio II.

ET vidit omnis populus eum ambulantem & laudantem DEUM. Cognoscebant autem illum, quòd ipse erat, qui ad elèëmosynam sedebat ad Speciosam portam templi, & impleti sunt stupore & extasi in eo, quod contigerat illi. Cùm teneret autem Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare? DEUS Abraham, & DEUS Isaac, & DEUS Jacob, DEUS Patrum nostrorum glorificavit Filium suum JESUM, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum & justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis: Auctorem verò vitæ interfecistis, quem DEUS suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis Ejus hunc, quẽ vos vidistis & nostis, confirmavit nomen ejus: & fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm. ℞. Benedictum est nomen tuum, DEUS Patrum nostrorum, qui cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis: * Et in tempore tribulationis peccata dimittis. ℣. Et benedictum nomen majestatis tuæ in æternum, qui facis mirabilia solus. Et in tempore.

Lectio III. Cap: IV.

FActum est autem in crastinum, ut congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Jerusalem: & Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali, & statuentes eos in medio, interrogabant: In

In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & Seniores, audite; si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël: quia in nomine Domini nostri JESU Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem DEUS suscitavit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est ub cælo datum hominibus, in quo soporteat nos salvos fieri.

℟. Laudabo nomen tuum assiduè, * Et collaudabo illud in cõfessione. ℣. Lætabor, & exultabo in te: psallam nomini tuo Altissime. Et. Gloria. Et.

In Secundo Nocturno. Antiphona.

MEmores erunt nominis tui Domine, in omni generatione, & generationem. *Psalm.* Eructavit. *Antiph.* Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum. *Psalm.* DEUS noster refugium. *Ant.* Omnes gentes, quascumq; fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. *Psal.* Fundamenta.

℣. Propter gloriam nominis tui Domine libera nos. ℟. Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. 15. super Cantica, circa medium.

Lectio IV.

NOn otiosè Spiritus Sanctus nomen Sponsi oleo comparat, cùm ita doceat, Sponsam ad Sponsum clamare: Oleum effusum nomen tuum. Oleum enim lucet, pascit, & ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Vide idem nunc & de Sponsi nomine: Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit, & ungit. Et percurramus singula. Unde putas in toto orbe tanta & tam subita fidei lux, nisi de prædicato nomine JESU? Nonne in hujus nominis luce DEUS nos vocavit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis & in lumine isto, videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?

℟. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum: * Quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. ℣. Exurge Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Quoniam.

Lectio V.

HOc deniq; nomen coram Regibus, & Gentibus, & filijs Israël portare jussus est idem Apostolus; & portabat nomen, tanquam lumen, & illuminabat patriam,

am, & clamabat ubique: Nox præcessit: dies autem appropinquavit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus. Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuntians in omni loco JESUM, & hunc Crucifixum. Quomodo lux ista resplenduit, ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri, tanquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas solidavit & bases, multosq; spiritualiter cæcos illuminavit? Numquid non ignem sparsit, cùm ait: In nomine JESU Christi Nazareni surge, & ambula. ℟. Confiteamur nomini tuo magno. * Quoniam terribile & sanctum est. ℣. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini DEI nostri invocabimus. Quoniam.

Lectio VI.

NEc tantùm lux est nomen JESU, sed est & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impingvat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atq; honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi JESUM. Si disputas, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi JESUS. JESUS mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrûm? veniat in cor ejus JESUS, & inde saliat in os. Et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne, si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? ℟. Lætentur omnes, qui sperant in te Domine, in æternum exultabunt, & habitabis in eis, & gloriabuntur in te omnes. * Qui diligunt nomen tuum. ℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die. Qui. Gloria Patri. Qui.

In Tertio Nocturno Antiphona.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus. *Psalm.* Cantate Domino.j. *Ant.* Secundùm nomen tuum DEUS, sic & laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua. *Psalm.* Dominus regnavit, exultet terra. *Ant.* Cantate DEO, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. *Psalm.* Cantate ij. ℣. Afferte Domino gloriam & honorem. ℟. Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio

Lectio VII. Cap. 2.

IN illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis. *Sermone 1. de Circumcisione.*

MAgnum & mirabile Sacramentum. Circumciditur Puer, & vocatur JESUS. Quid sibi vult ista connexio? circumcisio nempe magis salvandi, quàm Salvatoris esse videtur: & Salvatorem circumcidere potiùs decet, quàm circumcidi. Sed agnosce mediatorem DEI, & hominum, qui ab ipso nativitatis suæ exordio divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fecunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur: sed panni ipsi Angelicis laudibûs honorantur. Absconditur in præsepio; sed proditur radiante Stella de cælo. Sic & circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis: & nomen, quod est super omne nomen gloriam indicat majestatis. Circumciditur tamquam verus Abrahæ filius: JESUS vocatur tamquam verus Filius DEI.

℟. Tribulationem & dolorem inveni: * Et nomen Domini invocavi. ℣. Turris fortissima nomen Domini, in ipso speravi, & adjutus sum. Et nomen. *Benedictio.* Divinum auxilium.

Lectio VIII.

NEq; enim adinstar priorum meus iste JESUS nomen vacuum, aut inane portat. Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. Cælitus siquidem inditum nomen Evangelista testatur, quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur. Et attende verbi profunditatem. Postquàm natus est JESUS, JESUS vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur. Idem quippe & Angeli Salvator, & hominis; sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ. Vocatum est, ait, nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo. In ore ergo duorum vel trium testium stat omne verbum: & ipsum, quod in Propheta abbreviatum, manifestius in Evangelio legitur, Caro factum.

℟. Expectabo nomen tuum Domine. * Quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum. ℣. Ut confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua. Quoniam. Gloria Patri. Quoniã.

Nona Lectio de Homilia Dominicæ 2dæ post Epiph: quâ finitâ, dic. Te DEUM laudamus.

Ad Laudes & per Horas Antiphona.

OLeum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te. *Psalm.* Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica, ut in Psalterio.*

Antiphona. Scitote, quia Domi-

nus

nus ipse est DEUS, cujus nomen in æternum. *Antiph.* Sitivit anima mea ad nomen sanctum tuum Domine. *Antiph.* Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & laudabile, & superexaltatum in sæcula. *Ant.* Juvenes & virgines, senes cum junioribus laudate nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus soli*9*.

Capitulum. Philipp: 2.

FRatres, Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine JESU, omne genu flectatur.

HYMNUS.

JESU, decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
Qui te gustant, esuriunt;
Qui bibunt, adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi JESUM, quem diligunt.
O JESU mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ!
Te quærunt piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.
JESU, flos Matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus, honor Nominis,
Regnum beatitudinis. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, ℟. Qui fecit cælum & terram.

Ad Benedictus Antiphona.

Dedit se, ut liberaret populum, & acquireret sibi nomen æternum, Allelúja.

ORATIO.

DEUS, qui Unigenitum, &c. *ut supra.*

Postea fit commemoratio Dominicæ.

Ad Primam ℟. *breve.* Christe Fili. ℣. Qui natus es de MARIA Virgine.

Ad Tertiam Antiph. Scitote. *Capitulum.* Fratres, Christus humiliavit, *ut supra.* ℟. *breve.* Sit nomen Domini benedictum, * Alleluja, Alleluja. Sit nomen. ℣. Ex hoc nunc & usq; in sæculum. Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Sit nomen. ℣. Afferte Domino gloriam & honorem, Alleluja. ℟. Afferte Domino gloriam nomini ejus, Alleluja.

Ad Sextam Antiphona. Sitivit.

Capitulum. Philip: 2.

IN nomine JESU omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingva confiteatur, quia Dominus JESUS Christus in gloria est DEI Patris. ℟ *breve.* Afferte Domino gloriam & honorem, * Alleluja, alleluja. Afferte. ℣. Afferte Domino gloriam nomini ejus, Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Afferte. ℣. Magnificate Dominum mecum,

Alleluja. ℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum, Allel.

Ad Nonam, Antiphona. Juvenes & Virgines.

Capitulum. Coloss. 3.

OMne quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini JESU Christi facite, gratias agentes DEO, & Patri per ipsum. ℟ *breve.* Magnificate Dominum mecum, * Alleluja, alleluja. Magnificate. ℣. Et exaltemus nomen ejus in idipsum. Alleluja, alleluja. Gloria. Magnificate. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, Alleluja. ℟. Qui fecit cælum & terram, Alleluja.

In Secundis Vesperis omnia dicuntur sicut in primis. Ad Magnificat, Antiph. Vocabis nomen ejus JESUM; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum, Alleluja. *Oratio.* DEUS, qui Unigenitum, *ut supra. Deinde fit commemoratio Dominicæ & sequentis.*

Missa. In nomine JESU. *propria; cum commemor: Domin. & Evang. ejusdem in fine. Præf. de Nativit. Dñi.*

DIE XXIII. JANUARIJ.

In Festo S. Raymundi de Pennafort Confess. semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ hic habentur, & in Hymno. Iste Confessor. *dicatur.* Hac die lætus meruit supremos. Laudis honores.

ORATIO.

DEUS, qui B. Raymundum, pœnitentiæ Sacramenti insignem ministrum elegisti, & per maris undas mirabiliter traduxisti: concede; ut ejus intercessione dignos Pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum nostrum JESUM Christum, &c.

In 1. Noct. Lect. de Script. occur.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

BEatus Raymundus Barcinonensis ex nobili familia de Pennafort, Christianæ religionis rudimẽtis imbutus, adhuc parvulus eximia animi & corporis indole magnum aliquid portendere visus est. Nam adolescens humaniores literas in Patria professus, Bononiam se contulit, ubi pietatis officijs, ac Pontificio Civiliq; juri sedulò incumbens, & Doctoris laureâ insignitus, ibidem Sacros Canones magna cum hominum admiratione est interpretatus. Ejus virtutum fama percrebrescente, Berengarius Barcinonensis Episcopus, cùm Româ suam ad Ecclesiam rediret, eum conveniendi causa Bononiam iter instituit, & tandem summis precibus, ut secum in Patriam reverteretur, obtinuit. Mox ejusdem Ecclesiæ Canonicatu & Præpositurâ ornatus, universo Clero, & Populo, integritate, modestia, doctrina, & morum svavitate præfulsit, ac

Dei.

Deiparæ Virginis, quam singulari pietatis affectu venerabatur, honorem, & cultum semper pro viribus auxit. ℟. Honestum fecit.

Lectio V.

ANnum circiter quintum supra quadragesimum agens, in Ordine Fratrum Prædicatorum, solemni emissa Professione, ùt novus miles, in omni virtutum genere, sed præcipuè in charitate erga egenos, & maximè captivos ab infidelibus detentos, se exercuit. Unde cùm ejus hortatu S. Petrus Nolascus (cujus ipse confessiones audiebat) suas opes pijssimo huic operi conferret, tum eidem, tum B. Raymundo, & Jacobo Primo Aragoniæ Regi apparens Beatissima Virgo, gratissimum sibi, & Unigenito Filio suo fore dixit, si in suum honorem instituerêtur Ordo Religiosorum, quibus Captivos ex infidelium tyrannide liberandi cura incumberet. Quare collatis inter se consilijs, Ordinem B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum fundaverunt: cui B. Raymundus certas vivendi leges præscripsit ad ejusdem Ordinis vocationem accõmodatissimas; quarum approbationem aliquot post annos à Gregorio Nono impetravit, & dictum S. Petrum primum Generalem Ordinis Magistrum suis ipse manibus habitu eodem indutum creavit.

℟. Amavit eum Dominus, &c.

Lectio VI.

AB eodem Gregorio Romam accersitus, & Cappellani, ac Pœnitentiarij, & Confessarij sui munere decoratus, ejusdem jussu, Romanorum Pontificum Decreta, in diversis Concilijs & Epistolis sparsa, in unum Decretalium volumen redegit. Archiepiscopatum Tarraconensem ab ipso Pontifice sibi oblatum constantissimè recusavit; & totius Ordinis Prædicatorum Generale Magisterium, quod per biennium sanctissimè administraverat, spontè dimisit. Jacobo Aragoniæ Regi sacræ Inquisitionis officij suis in Regnis instituendi auctor fuit. Multa patravit miracula; inter quæ illud clarissimum, quòd ex Insula Baleari Majori Barcinonem reversurus, strato super aquas pallio centum sexaginta milliaria sex horîs confecerit, & suum Cænobium januis clausis fuerit ingressus. Tandem propè centenarius, virtutibûs & meritîs cumulatus, obdormivit in Domino, annô salutis millesimô ducentesimô septuagesimo quinto, quem Clemens Octavus, in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iste homo, &c.

In Tertio Nocturno.

Homilia S. Gregorij Papæ in Evangelium. Sint lumbi. *Ut in eodem Communi.* *Et 9. lect. S. Emerentianæ Virg. Martyr.*

DIE XXIX. JANUARIJ.

In Festo S. Francisci Salesij, Episc: & Conf. duplex.

Omnia de Communi Confess. Pontificis præter ea quæ sequuntur.

In Hymno dicatur: Hac die lætus meruit supremos. Laudis honores.

ORATIO.

DEUS, qui ad animarum salutem B. Franciscum Confessorem tuum atq; Pontificem, omnibus omnia factum esse voluisti; concede propitius; ut charitatis tuæ dulcedine perfusi, ejus dirigentibûs monitîs, ac suffragantibûs meritis, æterna gaudia consequamur. Per Dominum nostrum JESUM, &c.

Lectiones Primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

FRanciscus in Oppido Salesio, unde familiæ cognomen, piîs, & nobilibûs Parentibûs natus, à teneris annis futuræ Sanctitatis indicia præbuit, morum innocentia, & gravitate. Adolescens liberalibûs disciplinis eruditus, mox Philosophiæ, ac Theologiæ Parisiîs operam dedit: & ne quid sibi deesset ad animi culturam, Juris utriusq; Lauream summa cum laude Patavij obtinuit. In sacra æde Lauretana perpetuæ Virginitatis votum, quô pridem Parisijs se obstrinxerat, innovavit: à cujus virtutis proposito, nullîs unquam dæmonum fraudibûs, nullîs sensuum illecebrîs, potuit dimoveri. ℟. Inveni.

Lectio V.

REcusata in Sabaudiæ Senatu amplissima dignitate, Clericali militiæ nomen dedit; tùm Sacerdotio initiatus, & Genevensis Ecclesiæ Præposituram adeptus, ejus muneris partes adeò perfectè explevit, ut eum Granerius Episcopus vindicandis ab hæresi Calviniana Chaballicensibus, alijsq; Genevæ finitimis populis, Divini verbi præconem destinavit. Quam expeditionem alacri animo suscipiens, asperrima quæq; perpessus est, sæpè ab Hæreticis conquisitus ad necem, varijsq; calumniis, & insidiîs vexatus. Sed inter tot discrimina, & agones, insuperabilis ejus constantia semper enituit; DEIq; ope protectus, septuaginta duo millia hæreticorum ad Catholicam fidem reduxisse dicitur, inter quos multi nobilitate, & doctrinâ insignes numerantur. ℟. Posui.

Lectio VI.

MOrtuo Granerio, qui eum sibi Coadjutorem decerni curaverat, Episcopus consecratus, Sanctitatis suæ radios circumquaq; diffudit, zelo Ecclesiasticæ disciplinæ, pacis studiô, misericordiâ in pauperes, omniq; virtute conspicuus. Ad Divini cultus augmentum, novum Ordinem Sanctimonialium instituit à Visitatione B. Virginis nun-

nuncupatum, sub Regula S. Augustini: cui addidit constitutiones, sapientiâ, discretione, & suavitate, mirabiles. Suis etiam scriptis cælesti doctrina refertis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum, & planum demonstrat. Annum deniq; agens quinquagesimum quintum, dùm è Gallia Annesium regreditur, post Sacrum in die S. Joannis Evangelistæ Lugduni celebratum, gravi morbo correptus, sequenti die migravit in cælum, Annô Domini millesimô sexcentesimô vigesimô secundô. Ejus corpus Annesium delatum, in Ecclesia Monialium dicti Ordinis, honorificè conditum fuit, cæpitq; statim miraculis clarescere. Quibus ritè probatis, ab Alexandro VII. Pontifice Maximo, in Sanctorum numerum relatus est, assignata ej⁹ Festivitati die 29. Januarij.

℟. Iste est.

In Tertio Nocturno.

Homil: in Evangel: Homo peregrè proficiscens. *ùt in Comm: Conf. Pontif.*

Missa. Statuit ei Dominus, *cum Oratione propria.*

DIE XXX. JANUARIJ.

In Festo S. Martinæ Virginis & Martyris, semiduplex.

Omnia de Communi Virginum, præter ea, quæ assignantur propria.

ORATIO.

DEUS, qui inter cætera potentiæ, &c.

Nisi Festum S. Martinæ transferri contingat: tunc enim in primis Vesperis, (si à Capitulo fiat de eodem Festo) & in secundis (si non sequatur Festum semiduplex) dicitur Hymnus. Martinæ celebri. *usq; ad* Quærit præmia Cælitum. *& in fine.* A nobis abigas. *& ad Matutinum dicitur Hymnus.* Nō illam crucians. *usq; in finem. Si verò non transferatur, ad Matutinum erit Hymnus ùt infra.*

HYMNUS.

MArtinæ celebri plaudite nomini
Cives Romulei, plaudite gloriæ:
Insignem meritis dicite Virginem,
Christi dicite Martyrem.

Hæc dum cōspicuis orta parentibus
Inter delicias, inter amabiles
Luxus illecebras ditibus affluit
Faustæ muneribus domus.

Vitæ despiciens commoda, dedicat
Se rerū Domino, & munifica manu
Christi pauperibus distribuēs opes,
Quærit præmia Cælitum.

NOn illam crucians ungula, non feræ,
Non virgæ horribili vulnere commovent,
Hinc lapsi è Superum sedibus Angeli
Cælesti dape recreant.

Quin & deposita sævitie leo
Se rictu placido projicit ad pedes:
Te Martina tamē dans gladius neci
Cæli cætibus inserit.

Te, thuris redolens ara vaporibus
Quæ fumat, precib⁹ jugiter invocat,
Et falsum perimens auspicium, tui
Delet nominis omine.

A nobis abigas lubrica gaudia

Tu,

Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus (bar,
Une & Trine: tuis da famulis ju-
Quo clemens animos beas. A.

In 1. Nocturno, Lect. de Script: occur.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

MArtina Virgo Romana, Patre consulari, illustri genere nata, teneris adhuc annis orbata parentibus, Christianæ pietatis ardore succensa, divitias, quibûs affluebat, mira in pauperes liberalitate distribuit. Sub Alexandro Principe, cùm deos inanes colere juberetur, immane facinus summa libertate detestatur. Quapropter iterum atq; iterum affecta verberibûs, uncis, ungulis ferreis, testarum fragmentîs lacerata, acutissimis gladijs membratim concisa, adipe ferventi peruncta, demum in amphitheatro damnatur ad bestias: à quibus illæsa divinitus evadens, in ardentem rogum injecta, incolumis pari beneficio servatur.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

EX ejus tortoribus nonnulli, miraculi novitate correpti, DEI aspirante gratiâ, Christi fidem amplexi, post cruciatus gloriosam Martyrij palmam capitis abscissione promeruêre. Ad ejusdem preces nunc terræ motibus exortis, nunc ignibus è cælo tonante delapsis, deorum templa prostrata sunt, & simulacra consumpta. Interdum ex vulneribus lac eum sangvine erupit, splendorq; nitidissimus, ac suavissimus odor è corpore emanavit: interdum sublimis Regia in sede divinis laudibus unà cum Cælitibus interesse visa est.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

HIsce prodigijs, ejusq; inprimis constantia, acriter permotus Judex, caput Virginis amputari præcepit; qua perempta, auditaq; de Cælo voce, qua ad Superos evocabatur, Urbs tota contremuit, ac multi idolorum cultores, ad Christi fidem conversi sunt. Sacrum Martinæ corpus, sedente S. Urbano Primo, Martyrio affectum; Urbano Octavo Pontifice Maximo, in pervetusta ejusdem Ecclesia, ad Mamertinum carcerem, in Capitolini clivi radicibus, cum Sanctorum Martyrum Concordij, Epiphanij, & Socijs corporibus repertum, eodem loco in meliorem formam redacto, atq; decentiùs ornato, magno populi concursu, totius Urbis lætitiâ, solemni ritu, ac pompa repositum est.

℟. Afferentur Regi.

In tertio Nocturno Homilia in Evang.

Simile est regnum cælorum decem Virginibus. *de Communi Virginum.*

Ad Laudes Hymnus.

TU natale solũ protege, tu bonæ
Da Pacis requiẽ Christiadũ plagis
Armorum strepitus & fera prælia
In fines age Thracios:

Et

Et regum socias agmina sub Crucis
Vexillo, Solymas nexibus exime,
Vindexq; innocui sangvinis hosticũ
Robur funditùs erue.
Tu nostrũ columẽ, tu decus inclytũ
Nostrarũ obsequium respice mentiũ
Romæ vota libens excipe, quæ pio
Te ritu canit, & colit.
A nobis abigas lubrica gaudia
Tu, qui Martyrib⁹ dexter ades, DEUS
Une & Trine: tuis da famulis jubar,
Quo clemẽs animos beas. A.

Ad Benedictus Antiphona.
Simile est regnum.

Missa. Loquebar. *de Comm. Virg. Martyr.*

Vespera de sequenti cum commem: præcedentis.

DIE XXXI. JANUARIJ.

In Festo S. Petri Nolasci Confessoris, Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontific. præter Orationem & Lectiones Secundi Nocturni.

Ad Hymnum. Iste Confessor. *dicitur.* Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

ORATIO.

DEUS, qui in tuæ charitatis exemplum, ad fidelium redemptionem S. Petrum Nolascum, Ecclesiam tuam nova prole fœcundare divinitus docuisti: ipsius nobis intercessione concede, à peccati servitute solutis, in cælesti Patria, perpetua libertate gaudere. Qui vivis, &c.

In Primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

PEtrus Nolascus, Recaudi propè Carcasonam in Gallia nobili genere natus, singulari erga proximum charitate excelluit. Cujus virtutis præsagium fuit, quòd cùm adhuc in cunabulis vagiret infans, examen apum ad eum convolavit, & favum mellis in ejus dextera construxit. Adolescens parentibus orbatus, Albigensium Hæresim, quæ tunc in Gallia grassabatur, execrans; divendito patrimonio in Hispaniam secessit, & apud Beatã Virginem Montis Serrati votum, quo pridem se obstrinxerat, exsolvit. Tùm Barcinonam pergens, cùm Christi fidelibus ab hostium servitute redimendis, omnem pecuniam consumpsisset, seipsum pro ijs liberandis venum ire, aut in illorum vincula suffici cupere dictitabat.

℟. Honestum fecit, &c.

Lectio V.

QUàm gratum DEO fuerit hoc sancti viri desiderium, subsequens declaravit eventus. Nam noctu oranti, & de Christianorum in captivitate degentium subsidio multa animo volventi Beata Virgo apparens, Filio suo sibiq; acceptissimum fore suggessit, si ad sui honorem Religiosorum Ordo instituceretur, quibus præcipuè esset cura,

ra, captivos ab infidelium tyrannide liberare. Huic cælesti monito illicò obtemperans, unà cùm S. Raymundo de Pennafort, & Jacobo primo, Rege Aragoniæ, de eadem re à DEI Genitrice ipsa nocte præmonitis, Religionem B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum instituit; Sodalibus suis quarto voto obstrictis, manendi in pignus sub Paganorũ potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit.

℟. Amavit eum Dominus, &c.

Lectio VI.

EDitô virginitatis votô, illibatam perpetuò castitatem servavit. Patientiâ, humilitate, abstinentiâ, cæterisq; virtutibus mirabiliter enituit. Prophetiæ dono illustris, futura prædixit; inter quæ maximè celebratur, quòd Jacobus Rex, Valentiam à Mauris occupatam, expugnaverit, accepta priùs ab eo obtinẽdæ victoriæ securitate. AngeliCustodis, ac Deiparæ Virginis, frequenti apparitione recreabatur. Senio tandem confectus, de imminenti morte certior factus, in morbum incidit; sanctisq; refectus Sacramentis, Fratres suos ad Charitatem erga captivos cohortatus, & Psalmum, Confitebor tibi Domine in toto corde meo, devotissimè recitans, ad illa verba; Redemptionem misit Dominus populo suo: Spiritum DEO reddidit media nocte Vigiliæ Nativitatis Domini Annô millesimô ducentesimô quinquagesimô sextô. Cujus festivitatem Alexander Septimus die trigesima prima Januarij celebrari præcepit.

℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno.

Evangelium. Nolite timere, &c. *ut in Communi Confessoris non Pontificis, secundo locó.*

Missa. Justus ut palma.

Oratio propria. DEUS, qui in tuæ. *ut supra.*

DIE IV. FEBRUARIJ.

In Festo S. Andreæ Corsini, Episcopi & Confessoris, semiduplex.

Omnia de Communi Confessorum Pontificum, præter Orationem, & Lectiones secundi Nocturni.

In hymno ad Vesp: & ad Matut: ℣. *mutatur 3tius.*

ORATIO.

DEUS, qui in Ecclesia tua, nova semper instauras exempla virtutum: da populo tuo B. Andreæ Confessoris tui atq; Pontificis ita sequi vestigia, ut assequatur & præmia. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr. In Quadrag. verò Fidelis sermo. *ex Comm. Conf. Pontif.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

ANdream Florentiæ ex nobili Corsinorum familia natum, Parentes precibus à DEO impetrarunt, & Beatæ Virgini spoponderunt. Qualis autem futurus esset,

Divi-

Divino præsagio, antequam nasceretur, ostensum est: nam Mater gravida sibi visa est per quietem lupum edidisse, qui ad Carmelitarum ædem pergens, in ipso templi vestibulo statim in agnum conversus est. Adolescens piè, & ingenuè educatus, cùm sensim ad vitia declinaret, sæpè à Matre increpatus fuit. Ubi autem cognovit se parentum voto, Deiparæ Virgini dicatum fuisse, DEI amore succensus, deq; visu Matris admonitus, Carmelitarum institutum amplexus est, in quo varijs tentationibus à dæmone vexatus, nunquã tamen potuit à Religionis proposito dimoveri. Mox Lutetiam missus, emenso studiorum curriculo, & Laureâ donatus, in Patriam revocatur, suiq; Ordinis regimini in Etruria præficitur.

℟. Inveni.

Lectio V.

INterea Fesulana Ecclesia suo viduata Pastore, eum sibi Episcopum elegit: quo munere se indignum æstimans, diu latuit ignotus, donec pueri voce mirabiliter loquentis proditus, & extra Urbem inventus, nè divinæ contradiceret voluntati, Episcopatum suscepit. Ea dignitate auctus, humilitati, quam semper coluerat, impensiùs incubuit: & Pastorali solicitudini misericordiam in pauperes, liberalitatem, Orationis assiduitatem, vigilias, aliasq; virtutes adjunxit, & spiritu etiam Prophetico clarus fuit, adeò, ut ejus Sanctitas ab omnibus celebraretur.

℟. Posui.

Lectio VI.

HIs permotus Urbanus V. ad sedandas Bononiæ turbas, Andream Legatum misit: quô in munere multa perpessus, Civium odia, quæ ad internecionem exarserant, summâ prudentiâ restinxit; tùm restituta tranquillitate ad propria reversus est. Nec multò pòst assiduis laboribus, & voluntaria carnis maceratione confectus, obitûs die à Beata Virgine sibi prædicto, ad cælestia regna migravit, Annô Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, ætatis suæ septuagesimo primo. Quem Urbanus Octavus multis magnisq; miraculis clarum, Sanctorum numerô adscripsit. Ejus corpus Florentiæ in Ecclesia sui Ordinis quiescit, & maxima Civium veneratione colitur, quibus non semel in præsenti discrimine præsidio fuit. ℟. *Iste est.*

In Tertio Nocturno.

Evang. Homo peregrè proficiscens.

Homilia S. Gregorij Papæ de Comm. Confess. Pontif.

Missa. Statuit ei.

Oratio, ut suprà.

DIE VI. FEBRUARIJ.

In Festo S. Dorotheæ Virginis & Martyris. Duplex.

Omnia de Comm. Virg. & Mart. præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

INdulgentiam nobis quæsumus. ùt in dicto Comm: Virginum.

In Primo Noct: Lectiones de Script: occurr. præterquam in Quadragesima.

In Secundo Noct: Lectiones in novis Breviarijs intra Officia SS. Patronorum Reg. Polon. appositæ; eademq; dudum in Additamentis Offic: Propr. SS. jussu & authoritate Illmi olim & Rdmi D. Nicolai in Prazmow Prazmowski Arch- iep. Gnesn. imprimi concessæ: inveniuntur.

Lectio IV.

DOrothea Virgo in Cæsarea Cappadociæ propter CHRISTI confessionem ab Apricio illius Provinciæ Præfecto comprehẽsa, Crystæ & Callistæ, sororibus, quæ à fide defecerant, tradita est, ut eam à proposito removerent. Sed ipsa reduxit eas ad fidem, propter quam in cuppam missæ & incensæ sunt. Dorotheam verò jussit Præses in catasta levari, quæ dixit ad illum; nunquam in tota vita mea sic lætata sum, sicut hodie; tum ad ejus latera lampades ardentes apponi, deinde faciem diutissimè cædi, tandem caput gladio percuti Præses imperat.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

EAm porrò, dum deduceretur ad supplicium dicentem: Gratias tibi amator animarum, qui me ad Paradisum tuum vocasti: Theophilus quidam Præsidis Advocatus irridens: Eia tu, inquit, sponsa Christi, mitte mihi de Paradiso Sponsi tui mala, aut rosas; & Dorothea respondit: Planè ita faciam. Cùm ante ictum breviter precari permissa esset, pulchra specie puer ante eam apparuit, ferens in Orario tria mala, & tres rosas. Cui illa ait: Obsecro te, ut feras ea Theophilo: & mox gladio percussa perrexit ad CHRISTUM.

℟. Dilexisti.

Lectio VI.

IGitur cùm Theophilus irridens promissionem Sanctæ Dorotheæ, sodalibus narraret, ecce puer ante eum cum Orario, in quo ferens tria mala magnifica, & tres rosas elegantissimas, dixit ei: En sicut petenti promisit Virgo Sanctissima Dorothea, transmisit hæc tibi de Paradiso Sponsi sui. Tùm Theophilus stupens, quòd esset Februarius & gelu cuncta rigerent, ea accepit, atquè acclamavit. Verè DEUS Christus est. Sicq; palàm fidem Christi professus, gravissimum quoquè pro ea Martyrium strenuè pertulit.

℟. Afferentur.

In Tertio Noct. Homilia in Evangelium. Simile est Regnum cælorum thesauro. *ùt in Comm. nec Virg. nec Mart.* ℟. vij. Hæc est Virgo sapiens. ℟. viij. Media nocte. *de Virginibus.*

DIE VIII. FEBRUARIJ.

In Festo S. Ioannis de Matha Confessoris,

Et

Ordinis SSS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Fundatoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, ùt in Breviario Rom. præter Orationem, & Lectiones 1. Noct. in Hymno: Iste Confessor. *dicitur.* Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

ORATIO.

DEUS, qui per S. Joannem de Matha Ordinem Sanctissimæ Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum Captivos cælitùs instituere dignatus es: præsta quæsumus; ut ejus suffragantibus meritis, à captivitate corporis & animæ, te adjuvante liberemur. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, si venerit in Quadrages. Lectiones. Beatus vir. *de Comm. Confess. non Pontificis.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

IOannes de Matha Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Institutor, Falcone in Provincia natus est, Parentibus pietate, & nobilitate conspicuis. Studiorum causâ Aquas Sextias, mox Parisios profectus, confectoq; Theologiæ curriculo, Magisterij Lauream adeptus, doctrinæ & virtutum splendore enituit. Quibus motus Parisiensis Antistes ad sacrum Presbyteratus ordinem præhumilitate reluctantem promovit, eo consilio, ut in ea Civitate commorans, sapientiâ & moribûs studiosæ juventuti præluceret. Cùm autem in Sacello ejusdem Episcopi, ipso cum alijs adstante, primum DEO Sacrum offerret, cælesti favore meruit recreari. Nam Angelus candida & fulgenti veste indutus, cui in pectore Crux rubei & cærulei coloris assuta erat, brachijs cancellatis, & super duos captivos ad latera positos, Christianum unum, alterum Maurum, extensis, apparuit. Qua visione in extasim raptus, intellexit, protinus Vir DEI, se ad redimendos ab infidelibus Captivos destinari. ℟. Honestum fecit.

Lectio V.

QUò verò maturiùs in re tanti momenti procederet, in solitudinem secessit, ib q; divino nutu factum est, ut Felicem Valesium, in ipsa eremo jam multis annis degentem repererit, cum quo inita societate, se per triennium in oratione, & contemplatione, omniumq; virtutum studio exercuit. Contigit autem, ut dum se cum de rebus divinis propè fontem colloquerentur, cervus ad eos accesserit, Crucem inter cornua gerens, rubei & cærulei coloris. Cùmq; Felix ob rei novitatem miraretur; narravit ei Joannes visionem in prima Missa habitam, & exinde ferventiùs orationi incumbentes, ter in somnis admoniti, Romam proficisci decreverunt, ut à

Summo Pontifice novi Ordinis pro redimendis Captivis institutionem impetrarent. Electus fuerat eo tempore Innocentius Tertius, qui illis benignè acceptis, dum secum de re proposita deliberat, in Festo S. Agnetis secundò, Laterani intra Missarum solemnia ad Sacræ Hostiæ elevationem, Angelus ei candida veste, Cruce bicolori, specie redimentis Captivos apparuit. Quo viso Pontifex, Institutum approbavit, & novum Ordinem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum vocari jussit, ejusq; Professoribus albas vestes cum Cruce rubei & cærulei coloris præbuit.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

SIc stabilito Ordine Sancti Fundatores, in Galliam redierunt; primoq; Cœnobio Cervi Frigidi in Diœcesi Meldensi constructo, ad ejus regimen Felix remansit, & Joannes Romam cum aliquot socijs reversus est, ubi Innocentius Domum, Ecclesiam, & Hospitale S. Thomæ de Formis in Monte Cælio eis donavit, cum multis redditibus & possessionibus. Datis quoq; literis ad Miramolinum Regem Marrochij, opus Redemptionis felici auspicio inchoatum fuit. Tum ad Hispanias, sub jugo Saracenorum magna ex parte oppressas, Joannes profectus est, Regumq;, Principum, atq; aliorum fidelium animos ad Captivorum & Pauperum commiserationem commovit. Monasteria ædificavit, Hospitalia erexit, magnoq; lucro animarum plures Captivos redemit. Romam tandem reversus, sanctisq; operibus incumbens, assiduis laboribus attritus, & morbo confectus, ardentissimo DEI, & proximi amore exæstuans, ad extremum devenit. Quare fratribus convocatis, eisq; ad opus Redemptionis cælitus præmonstratum efficaciter cohortatis, obdormivit in Domino sextodecimo Kalendas Januarij, Annô salutis Millesimô ducëtesimô decimotertiô, ejusq; corpus in ipsa Ecclesia S. Thomæ de Formis condigno honore tumulatum fuit.

℟. Iste homo perfecit.

In Tertio Nocturno.

Homil. S. Gregorij Papæ in Evang. Sint lumbi vestri, &c. *ut in Communi Confess. non Pontif.*

DIE IX. FEBRUARIJ.

In Festo S. Apolloniæ Virginis & Martyris, Duplex.

Ex concessione Clementis X. die 23. Septembris, 1678...

Omnia de Comm. Virg. & Mart.

ORATIO.

DEUS, qui inter cætera. *ut in eodem Comm. Virg.*

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurr. nisi venerit in Quadrag.

Lectio IV.

APollonia Virgo Alexandrina sub Decio Imperatore, cùm ingrave-

vescente jam ætate ad idola sisteretur, ut eis venerationem adhiberet; illis contemptis JESUM Christum verum DEUM colendum esse prædicabat. Quamobrem omnes ei contusi sunt & evulsi dentes, ac nisi Christum detestata Deos coleret, accenso rogo combusturos vivam minati sunt impij carnifices. Quibus illa, se quamvis mortem pro JESU Christi fide subituram, respondit.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

ITaq; comprehensa ut combureretur, cùm paulisper, quasi deliberans, quid agendum esset, stetisset; ex illorum manibus elapsa, alacris in ignem sibi paratum majorî Spiritûs sancti flammâ intus accensa, se injecit. Unde brevi, consumpto corpore purissimus Spiritus in cælum ad sempiternam Martyrij coronam evolavit.

℟. Dilexisti.

Ex Sermone S. Augustini Episcopi *de S. Virg. Cap. 2.*

Lectio VI.

CUm universa Ecclesia Virgo sit desponsata uni Viro Christo, sicut dicit Apostolus; quanto digna sunt honore membra ejus, quæ hoc custodiunt, etiam in ipsa carne, quod tota custodit in fide, quæ imitatur Matrem Viri Domini sui? nam Ecclesia quoq; Virgo & Mater est: cujus enim integritati consulimus, si Virgo non est? aut cujus prolem alloquimur, si Mater non est? MARIA corporaliter Caput hujus corporis peperit, Ecclesia spiritualiter membra illius Capitis parit. In utraq; virginitas fæcunditatem non impedit, in utraq; fœcunditas virginitatem non adimit.

℟. Afferentur.

In Tertio Nocturno. Homilia S. Gregorij Papæ in Evang. Simile erit Regnum cælorum decem Virgin. *de Comm. Virg.*

DIE X. FEBRUARIJ.

In Festo S. Scholasticæ Virginis & Abbatissæ, Duplex.

Ex Indulto BENEDICTI XIII. sanct. memor. Pontif. Max. die 1ma Febr. 1729.

Omnia de Comm. Virgin. præter ea quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui animam B. Virginis tuæ Scholasticæ, ad ostendendam innocentiæ viam in columbæ specie cælum penetrare fecisti; da nobis ejus meritis & precibus ità innocenter vivere, ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de script. occurr. in Quadragesimâ, De Virginibus.

In Secundo Nocturno.

Ex Libro secundo Dialogor: S. Gregorij Papæ, *Cap. 33. Lectio IV.*

SCholastica, Venerabilis Patris Benedicti, Soror, omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semel per annũ veni-

venire consveverat: ad quam Vir DEI non longè extra januam in possessione Monasterij descendebat. Quadam verò die venit ex more, atq; ad eam cum Discipulis Venerabilis ejus descendit Frater, qui totum diem in DEI laudibus, sacrisq; colloquijs ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris, simul acceperunt cibum. Cùmque adhuc ad mensam sederent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem Sanctimonialis fœmina Soror ejus eum rogavit, dicens: Quæso te, ut ista nocte me non deseras, ut usq; manè de cælestis vitæ gaudijs loquamur. Cui ille respondit: Quid est, quod loqueris Soror? manere extra cellā nullatenus possum. Tanta verò erat cæli serenitas, ut nulla in àëre nubes appareret: Sanctimonialis autem fœmina, cùm verba Fratris negantis audivisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus, omnipotentem Dominum rogatura declinavit. Cùmque levaret de mensa caput, tanta coruscationis, & tonitrui virtus, tantaq; inundatio pluviæ erupit, ut neq; venerabilis Benedictus, neq; Fratres, qui cum eo aderant, extrà loci limen, quò consederant, pedem movere potuerint.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

SAnctimonialis quippè fœmina caput in manibus declinans, lacrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatē àëris ad pluviam traxit. Nec paulò tardiùs post orationem inundatio illa secuta est, sed tanta fuit convenientia Orationis, & inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret: quatenus unum, idemq; esset momentum & levare caput, & pluviam deponere. Tunc Vir DEI inter coruscos tonitrus, atquè ingentis pluviæ inundationem, videns se ad Monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus dicens: Parcat tibi omnipotens DEUS Soror, quid est, quod fecisti? cui illa respondit: Ecce rogavi te, & audire me noluisti; rogavi Deum meū, & exaudivit me: modò ergo, si potes, egredere, & me dimissâ, ad Monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit in loco, mansit invitus. Sicq; factū est, ut totam noctem pervigilem ducerēt, atq; per sacra spiritalis vitæ colloquia, sese vicaria relatione satiarent. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

CUmq; die altero eadem Venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset; Vir DEI ad Monasterium redijt. Cùm, ecce, post triduum in cella consistens, elevatis in àëra oculis, vidit ejusdem Sororis suæ animam de corpore egressam, in Columbæ specie cæli secreta penetrare. Qui tantæ ejus glo-

riæ

riæ congaudens omnipotenti DEO in hymnis & laudibus gratias reddidit, ejusq; obitum Fratribus renunciavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad Monasteriũ deferrent, atq; in sepulchro quod sibi ipsi præparaverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in DEO fuerat, eorum quoq; corpora, nec sepultura separaret. ℟. Afferentur.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Simile erit Regnum cælorum decem Virginibus. *de Comm. Virginum.*

Si hoc Festum celebretur in Quadragesima, Lectio 9. erit de Homilia Feriæ.

DIE VIII. MARTIJ.

In Festo S. Ioannis de Deo, Confessoris non Pontificis, Ordinis Hospitalitatis Fundatoris, Duplex.

Omnia de Comm. Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ hic assignantur.

ORATIO.

DEUS, qui B. Joannem tuo amore succensum inter flammas innoxium incedere fecisti, & per eum Ecclesiam tuam nova prole fœcundasti; præsta ipsius suffragantibus meritis, ut igne charitatis tuæ vitia nostra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum &c.

In primo Nocturno. in Quadragesima Lectiones de Libro Eccles. Beatus Vir. *de Comm: Conf: non Pontif: secundò locô, aliàs de Scriptura occurrente.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

JOannes de DEO ex Catholicis pijsq; Parentibus in Oppido Montis Majoris, Junioris Regni Lusitaniæ natus, qvàm sublimiter in sortem Domini fuerit electus, insuetus splendor super ejus domo refulgens, sonitusq; æris campani sua sponte emissus ab ipso ejus nativitatis tempore non obscurè pronunciarunt. A laxiori vivendi ratione, Divina operante virtute, revocatus, magnæ sanctitatis exhibere specimen cæpit, & ob auditam prædicationem verbi DEI, sic ad meliora se excitatum sensit, ut jam ab ipso sanctioris vitæ rudimento consummatum aliquid, perfectumq; visus sit attigisse. Bonis omnibus, in pauperes carceribus inclusos, erogatis admirabilis pœnitentiæ, suiq; ipsius contemptus cuncto populo spectaculum factus, à plerisq; ceu demens graviter afflictus in carcerem amentibus destinatum conijcitur. At Joannes cælesti charitate magis incensus, gemino, atq; amplo valetudinario ex piorum elèëmosynis in Civitate Granatensi extructo, jactoq; novi Ordinis fundamento Ecclesiam nova prole fœcundavit Fratrum Hospitalitatis, infirmis præclaro animarum corporumq; profectu inservientium, & longè latèq; per orbem diffusorum. ℟. Honestum fecit.

Lectio

Lectio V.

PAuperibus ægrotis, quos proprijs quandoq; humeris domum deferebat, nulla re ad animæ corporisq; salutem proficua deerat. Effusa quoq; extrà Nosocomium charitate indigentibus mulieribus viduis, & præcipuè virginibus periclitantibus clàm alimenta subministrabat, curamq; indefessam adhibebat, ut carnis concupiscentiam à proximis hujusmodi vitio inquinatis exterminaret. Cùm autem maximum in Regio Granatensi valetudinario excitatum fuisset incêdium, Joannes impavidus prosilijt in ignem huc illuc discurrens, quousq; tum infirmos humeris exportatos, tum lectulos è fenestris projectos ab igne vindicavit, ac per dimidiam horam inter flammas jam in immensum succrescentes, versatus, exindè divinitus incolumis, universis Civibus admirantibus, exivit, in schola charitatis edocens, segniorem in eum fuisse ignem, qui foris usserat, quàm qui intus accenderat.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

MUltiplici asperitatum genere, demississima obedientia, extrema paupertate, orandi studio, rerum divinarum contemplatione, ac in Beatam Virginem pietate mirificè excelluit, & lacrymarum dono enituit. Deniq; gravi morbo correptus, omnibus Ecclesiæ Sacramentis ritè, sanctèq; refectus, viribûs licèt destitutus, propriis indutus vestibûs è lectulo surgens, ac provolutus in genua, manu, & corde CHRISTUM Dominum è Cruce pendentem perstringens, octavo Idus Martij, Annô millesimô quingêtesimô quinquagesimô obijt in osculo Domini: quem etiam mortuus tenuit, nec dimisit, & in eadem corporis constitutione sex circiter horas, quousq; inde dimotus fuisset, tota Civitate inspectante, mirabiliter permansit, odorem mirè fragrantem diffundens, quem ante, & post obitum plurimis miraculîs clarum, Alexander Octavus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iste homo &c.

In tertio Nocturno. Homilia S. Ioannis Chrysostomi in Evang. Accesserunt ad JESUM Pharisæi, *ut in Dominica xvi. post Pentec. Si hoc Festum venerit in Quadrag: 9. lect: legitur de Homilia Feriæ occurrentis, & de ea fit comm.*

DIE IX. MARTIJ.

In Festo S. Franciscæ Viduæ Romanæ. Duplex.

Omnia de Communi nec Virginum nec Martyrum, præter ea quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui Beatam Franciscam famulam tuam, inter cætera gratiæ tuæ dona, familiari Angeli consvetudine decorasti; concede quæsumus; ut intercessionis ejus

auxi-

auxilio Angelorum consortium cō-sequi mereamur. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr. Et si venerit in Quadrages. erunt de Comm. non Virg. Mulierem fortem.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

FRancisca nobilis, Matrona Romana, ab ineunte ætate illustria dedit virtutum exempla: etenim pueriles ludos & illecebras mundi respuens, solitudine & oratione magnoperè delectabatur. Undecim annos nata, virginitatem suam DEO consecrare, & Monasterium ingredi proposuit; parentum tamen voluntati humiliter obtemperans, Laurentio de Pontianis juveni æquè diviti ac nobili nupsit: In matrimonio arctioris vitæ propositum, quantum licuit, semper retinuit: à spectaculis, cō-vivijs, alijsq; hujusmodi oblectamentis abhorrens, lanea ac vulgari veste utens; & quidquid à domesticis curis supererat temporis, orationi, aut proximorum utilitati tribuens; in id verò maxima solicitudine incumbens, ut Matronas Romanas à pompis sæculi & ornatûs vanitate revocaret. Quapropter Domum Oblatarum sub Regula S. Benedicti, Congregationis Montis Oliveti, adhuc viro alligata, in Urbe instituit. Viri exilium, bonorum jacturam, ac universæ domus mœrorem non modò constantissimè toleravit; sed gratias agens cum beato Job, illud frequenter usurpabat, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

VIro defuncto, ad prædictam Oblatarum Domum convolans, nudis pedibûs, fune ad collum alligato, humi prostrata, multis cum lacrymis earum numero adscribi suppliciter postulavit: voti compos facta, licèt esset omniū mater, non alio tamen, quàm ancillæ, vilissimæq; fœminæ, & immunditiæ vasculi titulo gloriabatur. Quam vilem sui existimationem & verbo declaravit, & exemplo: sæpè enim è suburbana vinea revertens, & lignorum fascem proprio capiti impositum deferens, vel eisdem onustum agens per Urbem asellum, pauperibus subveniebat; in quos etiam largas elèémosynas erogabat: ægrotantesq; in xenodochijs visitans, non corporali tantùm cibo, sed salutaribus monitis recreabat: corpus suum vigilijs, jejunijs. ciliciô, ferreô cingulô, crebrîsq; flagellis in servitutem redigere jugiter satagebat. Cibum illi semel in die herbæ & legumina, aqua potum præbuit. Hos tamen corporis cruciatus aliquando Confessarij mandato, à cujus ore nutuq; pendebat modicè temperavit.

℞. Dilexisti.

Lectio VI.

DIvina mysteria, præsertim verò CHRISTI Domini Passionem, tanto mentis ardore, tantaq; lacrymarum vi contemplabatur, ut præ doloris magnitudine pænè cõfici videretur. Sæpè etiam cùm oraret, maximè sumpto sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, spiritu in DEUM elevata, ac cælestium contemplatione rapta, immobilis permanebat. Quapropter humani generis hostis variis eam contumeliîs ac verberibûs à proposito dimovere conabatur: quem tamen illa imperterrita semper elusit; Angeli præsertim præsidiô, cujus familiari cõsvetudine gloriosum de eo triũphum reportavit. Gratiâ curationum & prophetiæ donô enituit, quò & futura prædixit, & cordiũ secreta penetravit. Non semel aquæ, vel per rivum decurrentes, vel è cælo labentes, intactam prorsùs, dùm DEO vacaret, reliquerunt. Modica panis fragmenta, quæ vix tribus sororibus reficiendis fuissent satis, sic ejus precibus Dominus multiplicavit, ut quindecem inde exsaturatis, tantum superfuerit, ut canistrum impleverit: & aliquando earumdem sororum, extra Urbem mense Januario ligna parantium, sitim recentis uvæ racemis ex vite in arbore pendentibûs mirabiliter obtentîs abundè expleverit. Deniq; meritis & miraculis clara, migravit ad Dominum, annô ætatis suæ quinquagesimô sextô: quam Paulus Quintus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

℟. Fallax gratia.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Simile est Regnum cælorum thesauro. *de Communi SS. nec Virg. nec Mart. & 9. Lect. dic. de Homil. Fer. occurr. & de ea fit comm. si venerit in Quadragesima.*

In secundis Vesperis fit commem. SS. Quadraginta Martyrum.

DIE XVII. MARTIJ.

In Festo S. Patritij Episcopi & Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confess. Pontificis præter Orationem, & Lectiones Secundi Nocturni.

ORATIO.

DEUS, qui ad prædicandam Gentibus gloriam tuam Beatum Patritium Confessorem atq; Pontificem mittere dignatus es: ejus meritis & intercessione concede: ut quæ nobis agenda præcipis, te miserante adimplere possimus. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno, si celebretur in Quadrag. Lectiones de Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Timoth. Fidelis sermo. *de Communi Conf. Pont. aliàs de Script. occurr.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

PAtritius, Hiberniæ dictus Apostolus, Calphurnio Patre, Ma-

tre Conchessa, S. Martini Turonensis Episcopi, (ùt perhibent,) consangvinea, majori in Britannia natus, puer in Barbarorum sæpiùs incidit captivitatem. Eo in statu pascendis gregibus præpositus, jam tum futuræ sanctitatis specimen præbuit. Fidei namq; Diviniq; timoris, & amoris spiritu repletus, antelucano tempore per nives, gelu, ac pluvias ad preces DEO fundendas, impiger consurgebat; solitus centies interdiu, cētiesq; noctu DEUM orare. A servitute tertiò exemptus, & inter Clericos relatus, in Divinis lectionibus longo se tempore exercuit. Galliis, Italiâ, Insulisq; Tyrrheni maris labore summo peragratîs, divino tandem monitu ad Hibernorum salutem advocatur; & facta à B. Cœlestino Papa Evangelij nunciandi potestate, consecratusq; Episcopus, in Hiberniam perrexit.

℟. Inveni David.

Lectio V.

EO in munere, mirum, quot Vir Apostolicus mala, quot ærumnas, & labores, quot pertulerit adversarios. Verùm DEI afflante benignitate, terra illa, idolorum anteà cultrix, eum mox prædicāte Patritio fructum dedit, ut Sanctorum Insula deinde fuerit appellata. Frequentissimi ab eo populi sacro sunt regenerati lavacro: Episcopi, Clericiq; plurimi ordinati; Virgines ac Viduæ ad continentiæ leges institutæ. Armachanam Sedem, Romani Pontificis authoritate, totius Insulæ principem Metropolim constituit, Sanctorumq; reliquijs ab Urbe relatis decoravit. Supernis visionibus, prophetiæ dono, ingentibusq; signis, & prodigijs à DEO exornatus, adeò refulsit; ut longè, lateq; celebrior Patritij se fama diffuderit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

PRæter quotidianam Ecclesiarum solicitudinem, invictum ab oratione spiritum nunquam relaxabat. Ajunt enim, integrum quotidie Psalterium unà cum Canticis, & Hymnis, ducentisq; orationibus consvevisse recitare; ter centies per singulos dies flexîs genibûs DEUM adorare, ac in qualibet hora diei Canonica centies se Crucis signo munire. Noctem tria in spatia distribuens, primum in centum Psalmis percurrendis, & bis centies genu flectendo; alterum in reliquis quinquaginta Psalmis, algidis aquis immersus, ac corde, oculis, manibusq; ad cœlum erectus absolvēdis insumebat; tertium verò super nudum lapidem stratus tenui dabat quieti. Humilitatis eximius cultor, Apostolico more à manuum suarum labore non abstinuit. Assiduis tandem curis pro Ecclesia consumptus, verbo, & opere clarus, in extrema senectute divinis Mysterijs refectus,

fectus, obdormivit in Domino, sepultusq; est apud Dunum in Ultonia, à Christiana salute sæculô quintô. ℟. Iste est.

In Tertio Nocturno.

Homil. in Evang. Homo peregrè proficiscens. *de Communi Confess. Pontif.*

Nona Lectio dicitur de Homilia Feriæ occurr. & de ea fit commem. ad Laudes.

Missa de Communi Confess. Pontif. Statuit ei Dominus.

Oratio. DEUS, qui ad prædicandam. *ùt supra.*

DIE XIX. MARTIJ.

In Festo S. Ioseph, Sponsi B.M.V. Confessoris. Duplex secundæ Classis.

Ad Vesperas. Antiphona.

IAcob autem genuit Joseph virum MARIÆ, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.

Psalmus: Dixit Dominus. *cum reliquis de Dominica. & loco ultimi, Psalmus.* Laudate Dominum omnes gentes.

Antiphona.

Missus est Angelus Gabriel à DEO ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis MARIA.

Antiphona. Cùm esset desponsata Mater JESU MARIA Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sanctô.

Antiphona. Joseph vir ejus, cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

Antiphona. Angelus Domini apparuit Joseph, dicens: Joseph fili David noli timere accipere MARIAM Conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sanctô est: pariet autem filium, & vocabis nomen ejus JESUM.

Capitulum. Prov. 28. & 27.

VIr fidelis multùm laudabitur. Et qui Custos est Domini sui, glorificabitur.

HYMNUS.

TE Joseph, celebrent agmina
Cælitum,
Te cuncti resonent Christiadum
Chori,
Qui clarus meritis, jũctus es inclytæ
Casto fœdere Virgini.
Almo cùm tumidam germine Conjugem,
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.
Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Ægypti profugum tu sequeris
plagas;
Amissũ, Solymis quæris, & invenis,
Miscens gaudia fletibus.
Post mortem reliquos mors pia
consecrat,
Palmamq; emeritos gloria suscipit,
Tu vivens, Superis par, frueris DEO,
Mira sorte beatior.
Nobis, summa Trias, parce precantibus,

Da

Da Joseph meritis sidera scandere:
Ut tandē liceat, nos tibi perpetim
Gratum promere canticū. Amen.

℣. Constituit eum Dominum domus suæ. ℟. Et Principem omnis possessionis suæ.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exurgens Joseph à somno, fecit, sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit Conjugem suam.

ORATIO.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis, &c.

Si celebretur in Quadragesima, fit commemoratio feriæ.

Ad Matutinum. Invitatorium.

CHristum Dei Filium, qui putari dignatus est filius Joseph: * Venite adoremus.

Psalmus. Venite exultemus.

HYMNUS.

CÆlitū Joseph decus, atq; nostræ
Certa spes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus, benignus
Suscipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicæ
Virginis Sponsum, voluitq; Verbi
Te Patrem dici, dedit & ministrum
Esse salutis.

Tu Redemptorē stabulo jacentem,
Quem chorus Vatū cecinit futurum,
Aspicis gaudens, humilisq; natum
Numen adoras.

Rex Deus regū, Dominator Orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur æther
Se tibi subdit.

Laus sit excelsæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens superos honores,
Det tuîs nobis meritîs, beatæ
Gaudia vitæ. Amen.

In I. Nocturno. Antiphona.

Ascendit Joseph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, ut profiteretur cum MARIA.

Psalm. Beatus Vir. *cum reliquis de Communi Conf. non Pontif.*

Antiphona. Venerunt Pastores festinantes: & invenerunt MARIAM, & Joseph, & Infantem positum in præsepio.

Psalm. Quare fremuerunt.

Antiphona. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.

Psalm. Domine quid multiplicati.

℣. Constituit eum Dominum domus suæ. ℟. Et Principem omnis possessionis suæ.

De Libro Genesis.

Lectio I. Cap. 39.

JOseph igitur ductus est in Ægyptum, emitq; eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, Princeps Exercitûs, vir Ægyptius, de manu Ismaëlitarum, à quibus perductus erat. Fuitq; Dominus cum eo,

& erat Vir in cunctis prosperè agens: habitavitq; in domo domini sui, qui optimè noverat Dominum esse cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitq; Joseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, & universa, quæ ei tradita fuerant: benedixitq; Dominus domui Ægypti propter Joseph.

℟. Fuit Dominus cum Joseph, & dedit ei gratiam in conspectu Principis carceris; * Qui tradidit in manu illius universos vinctos. ℣. Quidquid fiebat, sub ipso erat; Dominus enim erat cum illo, & omnia opera ejus dirigebat. Qui.

Lectio II. Genes. cap. 41.

PLacuit Pharaoni consilium Joseph, & cunctis Ministris ejus: Locutusq; est ad eos: Num invenire poterimus talem Virum, qui Spiritu DEI, plenus sit? dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi DEUS omnia, quæ locutus es, numquid sapientiorem & consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus Populus obediet: uno tantùm Regni solio te præcedam.

℟. Esuriente Terra Ægypti clamavit populus ad Regem alimenta petens. Quibus ille respondit: * Ite ad Joseph, & quidquid vobis dixerit, facite. ℣. Crescebat quotidiè fames in omni terra; aperuitq; Joseph universa horrea, & vendebat Ægyptijs. Ite ad Joseph.

Lectio III. Genes. cap. 41.

DIxitq; rursùs Pharao ad Joseph: Ecce constitui te super universam Terram Ægypti. Tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus: vestivitq; eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit. Fecitq; eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ Terræ Ægypti. Dixitq; Rex ad Joseph: Ego sum Pharao: absq; tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni Terra Ægypti.

℟. Fecit me Dominus quasi Patrem Regis, & dominum universæ domus ejus: nolite pavere; * Pro salute enim vestra misit me DEUS ante vos in Ægyptum. ℣. Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, & comedetis medullam Terræ. Pro salute. Gloria. Pro salute.

In II. Nocturno. Antiphona.

Consurgens Joseph accepit Puerum, & Matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum: & erat ibi usq; ad obitum Herodis.

Psalmus. Cùm invocarem.

Antiphona. Defuncto Herode Angelus Dñi apparuit in somnis

Joseph

Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & vade in Terram Iſràël: Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam Pueri.

Pſalmus. Verba mea.

Antiphona. Accepit Joſeph Puerum, & Matrem ejus, & venit in Terram Iſràël. *Pſalm.* Domine Dominus noſter.

℣. Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo. ℟. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Homil. 2. ſuper Miſſus, propè finem.

Lectio IV.

QUis & qualis homo fuerit beatus JOSEPH, conijce ex appellatione, qua, licèt diſpenſatoria, meruit honorari adeò, ut Pater DEI & dictus & creditus ſit: conijce & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & ſcito ipſius iſtum non ſolùm vocabulum fuiſſe ſortitum, ſed & caſtimoniam adeptum, innocentiam aſſecutum & gratiam.

℟. Aſcendit Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: * Eò quòd eſſet de Domo, & Famila David. ℣. Ut profiteretur cum MARIA deſponſata ſibi Uxore. Eò quòd eſſet.

Lectio V.

SIquidem ille Joſeph fraterna ex invidia venditus, & ductus in Ægyptum, CHRISTI venditionem præfiguravit: Iſte JOSEPH, Herodianam invidiam fugiens, CHRISTUM in Ægyptum portavit. Ille domino ſuo fidem ſervans, dominæ noluit commiſceri: Iſte Dominam ſuam, Domini ſui Matrem, Virginem agnoſcens, & ipſe continens, fideliter cuſtodivit. Illi data eſt intelligentia in myſterijs ſomniorum: Iſti datum eſt conſcium fieri atq; participem cœleſtium ſacramentorum.

℟. Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: * Et eſto ibi, uſq; dum dicam Tibi. ℣. Ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum. Et eſto.

Lectio VI.

ILle frumenta ſervavit non ſibi, ſed omni populo: Iſte panem vivum è cœlo ſervandum accepit tam ſibi, quàm toti mundo. Non eſt dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iſte JOSEPH, cui Mater deſponſata eſt Salvatoris. Fidelis, inquam, ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ Matris ſolatium, ſuæ Carnis nutritiũ, ſolum deniq; in terris magni conſilij coadjutorem fidiſſimum.

℟. Cùm inducerent Puerum JESUM Parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſvetudinem le-

gis pro eo. * Accepit eum Simeon in ulnas suas, & benedixit DEUM. ℣. Et erat Pater ejus, & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Accepit eum. Gloria Patri. Accepit eum.

In III. Nocturno. Antiphona.

Audiens Joseph, quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire.

Psalmus. Domine quis habitabit.

Antiphona. Admonitus in somnis Joseph, secessit in partes Galilææ: & veniẽs habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth; ut adimpleretur quod dictũ est per Prophetas: Quoniã Nazaræus vocabitur.

Psalmus. Domine in virtute tua.

Antiphona. Erat Pater JESU, & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo; & benedixit illis Simeon.

Psalmus. Domini est terra.

℣. Justus germinabit sicut lilium.

℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII. Cap. 1.

CUm esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Cõment. in cap. 1. Matthæi.

QUare non de simplici Virgine, sed de desponsata concipitur? Primùm, ut per generationem JOSEPH origo MARIÆ mõstraretur: secundò, ne lapidaretur à Judæis ùt adultera: tertiò, ut in Ægyptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur à desponsata conceptus sit: Ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, sed de uxore generatum.

℟. Dicit Mater JESU ad illum: Fili quid fecisti nobis sic? * Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. ℣. Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Ecce Pater.

Lectio VIII.

ANtequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Non ab alio inventa est, nisi à JOSEPH, qui penè licentia maritali futuræ Uxoris omnia noverat. Quòd autem dicitur; Antequàm cõvenirent: non sequitur, ut posteà convenerint: sed Scriptura quòd factum non sit, ostendit.

℟. Descendit JESUS cum eis, & venit Nazareth: * Et erat subditus illis. ℣. Proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud DEUM, & homines. Et erat. Gloria Patri. Et erat.

Nona Lectio dicitur de Homilia Feriæ occurrentis, si celebretur in Quadrage-

dragesima, & de ea fit commemoratio in Laudibus.

Lectio IX.

Ad libitum jungatur Lectioni viij. in Quadragesima, aliàs legatur post Pascha.

JOseph autem Vir ejus cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Si quis fornicariæ conjungitur, unum corpus efficitur: & in lege præceptum est, non solùm reos, sed & conscios criminum obnoxios esse peccati: quomodo JOSEPH, cùm crimen celaret Uxoris, justus scribitur? Sed hoc testimonium MARIÆ est, quod JOSEPH sciens illius castitatem, & admirans quod evenerat, celat silentiô, cujus mysterium nesciebat. Te DEUM.

Ad Laudes & per Horas. Antiphona.

IBant Parentes JESU per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ.

Psalmus. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. Cùm redirent, remansit Puer JESUS in Jerusalem, & non cognoverunt Parentes ejus.

Antiphona. Non invenientes JESUM, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum; & post triduum invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem, & interrogantem eos.

Antiphona. Dixit Mater ejus ad illum: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

Antiphona. Descendit JESUS cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.

Capitulum. Prov. 28. & 27.

VIr fidelis multùm laudabitur; & qui Custos est Domini sui, glorificabitur.

HYMNUS.

ISte, quem læti colimus fideles,
Cujus excelsos canimus triũphos,
Hac die Joseph meruit perennis
Gaudia vitæ.

O nimis felix, nimis ô beatus!
Cujus extremam, vigiles ad horam
Christus, & Virgo simul astiterunt
Ore sereno.

Hinc stygis victor, laqueo solutus
Carnis, ad sedes placido sopore
Migrat æternas, rutilisq; cingit
Tempora sertis.

Ergo regnantē flagitemus omnes,
Adsit ut nobis, veniamq; nostris
Obtinens culpis, tribuat supernæ
Munera pacis.

Sint tibi plausus, tibi sint honores
Trine, qui regnas DEUS; & coronas
Aureas servo tribuis fideli,
Omne per ævum. Amen.

℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingva ejus loquetur judicium.

Ad Benedictus Antiphona.

Ipse JESUS erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph.

ORATIO.

SAnctissimæ Genitricis tuæ. *ut suprà.*

Deinde fit Commemoratio Feriæ, si celebretur in Quadragesima.

Ad Tertiam Antiph. Cùm rediret.
Capitulum. Vir fidelis. *ùt suprà.*

℟ *breve.* Constituit eum. * Dominum domus suæ. Constituit.
℣. Et Principem omnis possessionis suæ. Dominum. Gloria Patri. Constituit.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.
℟. Gloriam & magnum decorem impones super eum.

Ad Sextam. Antiphona.
Non invenientes.

Capitulum. Eccles. 45.

DIlectus DEO, & hominibus, cujus memoria in benedictione est. In fide, & lenitate ipsius Sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.

℟ *breve.* Magna est gloria ejus. * In salutari tuo: Magna est.
℣. Gloriam & magnum decorem impones super eum. In salutari tuo. Gloria Patri. Magna est.

℣. Justus germinabit, sicut lilium.
℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Ad Nonam. Antiphona.
Descendit JESUS.

Capitulum. Sap. 10.

PRofugum justum deduxit Sapientia per vias rectas, & ostendit illi Regnum DEI, & dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.

℟ *breve.* Justus germinabit, * Sicut lilium: Justus. ℣. Et florebit in æternum ante Dominum. Sicut. Gloria Patri. Justus germinabit.

℣. Plantatus in domo Domini,
℟. In atrijs domus DEI nostri.

In Secundis Vesperis. Antiphona.
Ibant Parentes. *ùt in Laudibus.*

Psalmi, Capitulum, & Hymnus, ùt in primis Vesperis.

℣. Gloria, & divitiæ in domo ejus. ℟. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad Magnificat. Antiphona.

Ecce fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

Oratio. ùt suprà.

Posteà fit commemoratio S. Ioachim, ùt infra, & Feriæ occurrentis, si celebretur in Quadragesima.

DIE XX. MARTIJ.

In Festo S. Ioachim Confessoris, Patris B. V. Mariæ. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, exceptis iis quæ hìc habentur propria. Versus & Antiphona in primis Vesp. ad Magnif. & ad Benedictus.

Antiphona. Laudemus virum gloriosum in generatione sua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum suum confirmavit super caput ejus.

℣. Potens in terra erit semen ejus.

℟. Ge-

℟. Generatio rectorum benedicetur.

ORATIO.

DEUS, qui præ omnibus Sanctis tuis Beatum Joachim genitricis Filij tui patrem esse voluisti: concede quæsumus; ut cujus festa veneramur, ejus quoq; perpetuò patrocinia sentiamus. Per eundem Dominum.

Et fit commemoratio Feriæ, si celebretur in Quadragesima.

In Primo Nocturno. in Quadragesima Lectiones de Libro Ecclesiastici. Beatus vir. *de Communi Conf. non Pontif. aliàs de Scriptura occurrente.*

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Epiphanij Episcopi.

Oratione de Laudibus Virg. sub initio.

Lectio IV.

DE radice Jesse ortus est rex David, & de tribu regis David sancta Virgo: sancta, inquam, & sanctorum Virorum Filia: cujus Parentes fuerunt Joachim & Anna; qui quidem in vita sua DEO placuerunt, atq; etiam fructum ejusmodi germinaverunt, sanctam Virginem MARIAM, templum simul & Matrem DEI. Joachim porrò, Anna, & MARIA, hi tres Trinitati palàm sacrificium laudis offerebant. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eò quòd ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursus similiter gratia interpretatur, propterea quòd Joachim & Anna gratiam acceperunt, ut, accedentibus precibus, talem fructũ germinarent, sanctam Virginem adepti: Joachim siquidem precabatur in monte, & Anna in horto suo.

℟. Honestum fecit.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Oratione 1. de Virginis Mariæ Nativitate, circa principium.

Lectio V.

QUoniam futurum erat, ut DEI genitrix & virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est: verùm tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset. Siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat. O par Beatum Joachim & Anna! Vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum, omnium donorum præstantissimũ, Creatori obtulit, nempe castam Matrem, quæ sola Creatore digna erat. ℟. Amavit eum.

Lectio VI.

EXulta Joachim, quoniam ex Filia tua Filius natus est nobis, & vocatur nomen ejus magni cõsilij, hoc est, salutis totius mundi Angelus. Pudore afficiatur Nestorius, ac manum ori imponat. Puer hic DEUS est. Quonam igitur modo ea DEI genitrix non sit, quæ peperit? Si quis sanctam DEI geni-

genitricem non confitetur, à Deitate remotus est. Mea non est hæc oratio, quanquam alioqui mea: hanc enim divinissimam hæreditatem à Theologo Patre Gregorio accepi. O Beatum par Joachim & Anna! Ac profectò ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini, quemadmodùm Christus quodam loco dixit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ut DEO gratum erat, ac dignum ea, quæ à vobis orta est, vitæ vestræ rationes instituistis. Castè enim ac sanctè munere vestro functi, virginitatis thesaurum produxistis.

℟. Iste homo perfecit.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII. Cap: 1.

LIber generationis JESU Christi Filij David, Filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

Ex lib. 4. de Fide orthodoxa, cap. 15. de Domini genealogia & Sanctæ DEI Genitricis.

QUòd Joseph ex Davidica tribu originem duxerit, sanctissimi Evangelistæ Matthæus & Lucas liquidò demonstrârunt. Verùm hoc inter eos discriminis est, quòd Matthæus ex Davide per Salomonem Josephum deducit, Lucas autem per Nathan. At verò sanctæ Virginis ortum uterq; silentiô prætерijt. Quocirca scire operæ pretium est, nec apud Hebræos, nec apud Scripturam sacram hoc in more positum fuisse, ut mulierum genus recenseretur. Verùm hoc demum lege cautum erat, ne tribus ulla uxores ex altera tribu accerseret. Ac proindè Joseph, qui ex tribu Davidica ortum trahebat, justitiamq; colebat (hanc enim laudem ei tribuit divinum Evangelium) sanctam Virginem haudquaquam præter legis præscriptum despondisset, nisi ex eodem sceptro genus duxisset. Ob idq; satis habuit Evangelista demonstrasse, unde Joseph ortum traxerit.

℟. Iste est qui ante.

Lectio VIII.

IGitur ex stirpe Nathan filij David, Levi genuit Melchi, & Panthérem. Panther autem genuit Barpanthérem (namq; ita vocabatur.) Barpanther rursus genuit Joachim: Joachim denique genuit sanctam DEI genitricem. Rursus ex stirpe Salomonis filij David, Mathan ex uxore sua genuit Jacob. Mortuô autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, filius Levi, ac frater Panthéris, uxorem ipsius Mathan, quæ etiam Jacobi mater erat, matrimonio sibi copulavit, atq; ex ea genuit Heli: ita uterini fratres erant Jacob & Heli: ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan oriundus.

℟. Sint lumbi vestri.

Si hoc

Si hoc Festum celebretur in Quadragesima, nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, & de ea fit Commemoratio.

Lectio IX.

POrrò Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis susceptis, è vita migravit: eaq; de causa, Jacob ipsius frater, qui ex tribu Salomonis fluxerat, ipsius uxorem accepit, fratriq; suo semen excitavit, ac Josephum progenuit. Joseph itaq; natura quidem Filius Jacob erat à Salomone oriundus: legis autem ratione patrem habebat Heli ex Nathan oriundum. Quæ cùm ita sint, Joachim lectissimam illam, ac summis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio sibi copulavit. Verùm quemadmodum prisca illa Anna, cùm sterilitatis morbô laboraret, per orationem ac promissionem Samuelem procreavit: eodem modo hæc etiam per obsecrationem & promissionem DEI genitricem à DEO accepit, ut nè hic quoq; cuiquam ex illustribus matronis cederet. Itaq; Gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit: (id enim MARIÆ nomine significatur.) Verè etenim rerum omnium conditarum Domina facta est, cùm Creatoris Mater extitit.

Te DEUM laudamus.

In secundis Vesperis omnia dicuntur de Communi: & à Capitulo fit de sancto Benedicto, cum commemoratione S. Ioachim, & Feriæ occurrentis, si celebretur in Quadragesima.

FERIA SEXTA

post Dominicā Passionis celebratur *Festum Septem Dolorum B. M. V. sub ritu duplici.*

Si hoc Festum occurrat cum alio Festo duplici primæ vel secundæ Classis, transfertur in Sabbatum sequens, quod si sit impeditum, alio Festo, 9. Lectionum illo anno omittatur, & nunquam transferatur ad tempus Paschale.

Ad Vesperas, Antiphona.

VAdam ad montem myrrhæ & ad collem thuris. *Psalm.* Credidi. *cum reliquis, ùt in Vesperis Feriæ V. in Cœna Domini.*

Antiphona. Dilectus meus candidus & rubicundus: comæ capitis ejus sicut purpura Regis vincta canalibus. *Psalm.* Ad Dominum cùm tribularer.

Antiphona. Quò abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quò dilectus tuus declinavit? *Psalm.* Eripe me Domine ab homine malo.

Antiphona. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. *Psalm.* Domine clamavi.

Antiphona. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langveo. *Psalm.* Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Capi-

Capitulum. Isaiæ 53.

QUis credidit auditui nostro? & brachium Domini, cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.

H Y M N U S.

STabat Mater dolorosa
Juxta Crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristantem & dolentem,
Pertransivit gladius.
O quàm tristis & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quæ mærebat, & dolebat,
Pia Mater cùm videbat:
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari
Christi Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ Gentis
Vidit JESUM in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem Natum
Moriendo desolatum
Dum emisit Spiritum.
Eja Mater fons amoris
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum DEUM,
Ut sibi complaceam, Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnifica. Antiphona.

Tuam ipsius animam (ait ad MARIAM Simeon) pertransibit gladius.

O R A T I O.

DEUS, in cujus passione, secundùm Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis & Matris MARIÆ doloris gladius pertransivit: concede propitius, ut qui transfixionem ejus & passionem venerando recolimus, gloriosis meritis & precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter astantium, intercedentibus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis & regnas.

Et fit commem: Feriæ. Antiphona. Desiderio desideravi. ℣. Eripe me Domine. *Oratio.* Esto quæsumus Domine. *ut in Breviario. aliàs si transferatur hoc Festum in Sabbatum immediatè sequens, tunc eadem respectivè dicuntur.*

Ad Matutinum. Invitatorium.

Dolores gloriosæ recolentes Virginis, Dominum pro nobis passum, * Venite adoremus. *Psalm.* Venite exultemus.

H Y M N U S.

SAncta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati
Pœnas mecum divide.

Fac

Fac me tecum piè flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero, Amen.

In primo Nocturno. Antiphona.

AStiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus. *Psalm.* Quare fremuerunt Gentes. *ut in Psalt.*

Antiphona. Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo. *Psalm.* Domine, quid multiplicati.

Antiphona. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei. *Psalm.* Usquequò Domine oblivisceris me in finem.

℣. Posuit me desolatam. ℟. Tota die mœrore confectam.

De Isaia Propheta.

Lectio I. Cap. 53.

QUis credidit auditui nostro? Et brachium Domini, cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neq; decor: & vidimus eum; & non erat aspectus, & desideravimus eum. Despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum. Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à DEO, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

℟. Dilectus meus candidus, & rubicundus, & totus desiderabilis: * Omnis enim figura ejus amorem spirat, & ad redamandum provocat, caput inclinatum, manus expansæ, pectus apertum. ℣. Pijs ô Virgo, spectas eum oculis, cōtemplans in eo non tam vulnerū livorem, quàm mundi salutem. Omnis enim.

Lectio II.

OMnes nos quasi oves erravimus, unusquisq; in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm. Oblatus est, quia ipse voluit: & non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia, & de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua: eò quòd iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore ejus.

℟. Manus ejus tornatiles, clavorum cuspide terebratæ, * Humanæ salutis pretio quasi hyacinthis refertæ. ℣. Cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus: sunt enim manus ejus. Humanæ salutis.

Lectio III.

ET Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit & saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit: & pro transgressoribus rogavit.

℟. Diligebat JESUS Joannem, quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum: * Quia virgo electus ab ipso, virgo in ævum permansit. ℣. In Cruce, deniq; moriturus, huic Matrem Virginem virgini cōmendavit. Quia virgo. Gloria Patri. Quia virgo.

In secundo Nocturno. Antiphona.

INimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur & peribit nomen ejus? *Psalm.* Beatus, qui intelligit. *ut in Psal.*

Antiphona. DEUS, vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. *Psalm.* Miserere mei DEUS, quoniam conculcavit me homo.

Antiphona. Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ: & lingva eorum gladius acutus. *Psalm.* Miserere mei DEUS, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

℣. Facies mea intumuit à fletu. ℟. Et palpebræ meæ caligaverunt.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Sermone 12. de Stellis.

Lectio IV.

MArtyrium Virginis, tam in Simeonis prophetia, quàm in ipsa Dominicæ Passionis historia commendatur. Positus est hic (ait sanctus Senex de puero JESU,) in signum, cui contradicetur: & tuam ipsius animam (ad MARIAM autem dicebat) pertransibit gladius. Verè tuam, ô beata Mater, animam pertransivit: alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filij tui penetraret. Et quidem posteaquàm emisit Spiritum, tuus ille JESUS, ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utiq; animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat avelli.

℟. Tenebræ factæ sunt cùm crucifixissent JESUM Judæi, & circa

circa horam nonam exclamavit JESUS voce magna: DEUS meus, ut quid dereliquisti me? * Et inclinato capite emisit Spiritum. ℣. Quis tibi nunc sensus, dum cernis talia, Virgo? Et inclinato.

Lectio V.

TUam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam Martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille, revera pertransiens animam, & pertingens usq; ad divisionem animæ & spiritus: Mulier, ecce filius tuus: O commutationem! Joannes tibi pro JESU traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro Filio DEI, homo purus, pro DEO vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra, licèt saxea, licèt ferrea pectora, sola recordatio scindit?

℟. Passio Domini, * Ipsam ejus Matrem carnali orbitate graviter percussam, vehementissimè contristavit. ℣. Ferrum lanceæ militaris, latus quidem Salvatoris; animam verò transivit Virginis Matris. Ipsam.

Lectio VI.

NOn miremini, fratres, quòd MARIA martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminerit se audivisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quòd sine affectione fuissent. Longè id fuit à MARIÆ visceribus, longè sit à servulis ejus. Sed fortè quis dicat: Numquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuò resurrecturum? Et fideliter. Super hæc doluit Crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut mireris plus MARIAM compatientem, quàm MARIÆ Filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit; ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, quâ majorem nemo habuit; fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.

℟. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, & inhærendo lateri tuo, ut sanguis tuus sangvinem meum tangat, & tergat. * Ut fons aquæ tuæ de scaturigine recti cordis, per venas boni operis, in finem æternæ felicitatis exiliat? ℣. Filij tui de longè venient; & filiæ tuæ de latere surgent. Ut fons. Gloria Patri. Ut fons.

In tertio Nocturno. Antiphona.

INtenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. *Psalm.* Exaudi DEUS orationem meam cùm deprecor; *ut in Psalterio.*

Antiphona. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. *Psalm.* Domine DEUS salutis meæ.

Antiphona. Replevit me amaritudine, inebriavit me absynthio. *Psalm.* DEUS laudem meam ne tacueris. ℣. DEUS vitam meam annuntiavi tibi. ℟. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Lectio S. Evangelij secundùm Joannem.

Lectio VII. Cap. 19. c

IN illo tempore: Stabant juxta Crucem JESU Mater ejus, & soror matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tractatu 119. in Ioannem.

HÆc nimirum est illa hora, de qua JESUS, aquam conversurus in vinum, dixerat Matri. Quid mihi & tibi est Mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaq; horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis Matrem velut incognitam repellebat. Nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus Homo, affectu commendabat humano: moralis igitur insinuatur locus. Facit, quod faciendum admonet, & exemplo suo suos ministros instruxit præceptor bonus, ut à filijs pijs impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis.

℟. Doleo super te Fili mi JESU, decorus nimis, & amabilis super amorem mulierum! * Sicut enim mater unicum diligit filium, ita ego te diligebam. ℣. Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Sicut enim. *Benedictio.* Cujus Festum colimus.

Lectio VIII.

EX hac sana doctrina didicerat Paulus Apostolus, quod docebat quando dicebat: Si quis autem suis, & maximè domesticis non providet, fidem negavit & est infideli deterior. Quid autem tam cuiq; domesticum, quàm parentes filijs, aut parentibus filij? Hujus itaq; saluberrimi præcepti ipse Magister Sanctorum de seipso constituebat exemplum: quando non ùt famulæ DEUS, quam creaverat, & regebat; sed ùt Matri Homo, de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro se quodammodò filium providebat.

℟. Eja Mater fons amoris, fac nos sentire vim doloris; ut tecum lugeamus: * Et Dominicæ passionis fructum sentiamus. ℣. Et sicut Filius tuus JESUS pro nobis mortuus est, & resurrexit: ita & nos commortui cum eodem resurgamus. Et Dominicæ. Gloria Patri.

Patri. Et Dominicæ. *Benedictio.* Per Evangelica dicta.

Lectio IX. Homilia S. Augustini Episcopi in Evangelium. Collegerunt Pôtifices & Pharisæi. *ex Feria vj. Dominicæ Passionis. Vel si contingat transferri hoc Festum, dicitur ex Sabbato immediatè sequenti. Postea,* Te DEUM laudamus.

Ad Laudes, & per Horas Antiphona.

VAdam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. *Psalm.* Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. Dilectus meus candidus, & rubicundus: comæ capitis ejus sicut purpura Regis vincta canalibus.

Antiphona. Quò abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum! Quò dilectus tuus declinavit?

Antiphona. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Antiphona. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langveo.

Capitulum. Isaiæ 53.

QUis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.

HYMNUS.

VIrgo virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem CHRISTI mortem
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me Cruce inebriari,
Et cruore Filij.
Flammis ne urar succensus
Per te Virgo sim defensus
In die Judicij.
CHRISTE, cùm sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus CHRISTI.

Ad Benedictus Antiphona.

CUm vidisset JESUS Matrem stantem juxta crucem, & discipulum quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua.

ORATIO.

DEUS, in cujus passione. *ut suprà. Et fit comm: Feriæ, respectivè.*

Ad Completorium & per Horas, in fine Hymnorum dicitur: JESU tibi sit gloria. Qui natus es de Virgine, &c.

Ad Primam. Antiph. Vadam ad montem.

℟ *breve.* Christe Fili DEI vivi, * Miserere nobis. Christe. ℣ Qui passus

passus es pro homine. Miserere. Gloria Patri. Christe Fili DEI vivi, Miserere nobis. ℣. Exurge Christe, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Ad Tertiam. Antiph. Dilectus meus. *Capitulum.* Quis credidit. *ut suprà.*

℟ *breve.* Posuit me, * Desolatam. Posuit. ℣. Tota die mœrore confectam. Desolatam. Gloria. Posuit.

℣. Facies mea intumuit à fletu. ℟. Et palpebræ meæ caligaverunt.

Ad Sextam Antiph. Quò abijt.

Capitulum. Isaiæ 53. b.

IPse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

℟ *breve.* Facies mea, * Intumuit à fletu. Facies. ℣. Et palpebræ meæ caligaverunt. Intumuit. Gloria. Facies. ℣. DEUS vitam meam annuntiavi tibi.

℟. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Ad Nonam Antiph. Fulcite me floribus.

Capitulum. Isaiæ 53. c.

GEnerationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum.

℟ *breve.* DEUS vitam meam, * Annuntiavi tibi. DEUS vitam meam. ℣. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Annũtiavi. Gloria Patri. DEUS vitam meam.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosissima. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

In secundis Vesperis, omnia ùt in primis.

Ad Magnificat Antiphona.

CUm vidisset JESUS Matrem. *ùt suprà ad Benedictus. Et fit comm: Feriæ respectivè.*

DIE IV. APRILIS.

In Festo S. Isidori Episcopi & Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter ea, quæ hic ponũtur propria.

Ad Magnificat in utrisq; Vesperis Antiphona. O Doctor optime.

ORATIO.

DEUS, qui populo tuo æternæ salutis Beatum Isidorum Ministrum tribuisti: præsta quæsumus; ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Si celebretur in Quadrag. fit commemoratio Feriæ occurrentis.

In primo Nocturno Lectiones. Sapientiam omnium antiquorum. *de Communi Doctorum.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

ISidorus natione Hispanus, Doctor egregius, ex nova Carthagine Severiano patre, Provinciæ Duce natus, à sanctis Episcopis Leandro Hispalensi, & Fulgentio Carthaginen-

nensi fratribus suis piè, & liberaliter educatus, Latinis, Græcis, & Hebraicis literis, divinisq; & humanis legibus instructus, omni scientiarum, atq; Christianarum virtutum genere præstantissimus evasit. Adhuc adolescens hæresim Arianam, quæ gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem, jam pridem invaserat, tantâ constantiâ palàm oppugnavit, ut parùm abfuerit, quin ab Hæreticis necaretur. Leandro vita functo ad Hispalensem Cathedram invitus quidem, sed urgente primis Recaredo Rege, magnoq; etiam Cleri, populiq; consensu assumitur, ejusq; electionem S. Gregorius Magnus nedum authoritate Apostolica confirmasse, sed & electum transmisso de more pallio decorasse, quin etiam suum & Apostolicæ Sedis in universa Hispania Vicarium constituisse perhibetur. ℟. Inveni David.

Lectio V.

IN Episcopatu quantùm fuerit constans, humilis, patiens, misericors, in Christiana, & Ecclesiastica disciplina instauranda sollicitus, eaq; verbo, & scriptis stabilienda indefessus, atq; omni demum virtutum ornamento insignitus, nullius lingva enarrare sufficeret. Monastici quoq; instituti per Hispaniam promotor, & amplificator eximius plura construxit Monasteria, Collegia itidem ædificavit, ubi studijs sacris, & lectionibus vacans, plurimos discipulos, qui ad eum confluebant, erudivit, quos inter Sancti Ildephonsus Toletanus, & Braulio Cæsaraugustanus Episcopi emicuerunt. Coacto Hispali Concilio Acephalorum hæresim Hispaniæ jam minitantem, acri, & eloquenti disputatione fregit, atq; contrivit. Tantam apud omnes sanctitatis, & doctrinæ famam adeptus est, ut elapso vix ab ejus obitu sextodecimô annô universa Toletana Synodo duorum supra quinquaginta Episcoporum plaudente, ipsoq; etiam Sancto Ildephonso suffragante Doctor egregius Catholicæ Ecclesiæ novissimum decus, in sæculorum fine doctissimus, & cum reverentia nominandus, appellari meruerit; eumq; Sanctus Braulio non modò Gregorio Magno comparaverit, sed & erudiendæ Hispaniæ locô Jacobi Apostoli cælitus datum esse censuerit. ℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

SCripsit Isidorus libros Etymologiarum, & de Ecclesiasticis Officijs, aliosq; quàm plurimos Christianæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ adeò utiles, ut Sanctus Leo Papa Quartus ad Episcopos Britanniæ scribere non dubitaverit, sicut Hieronymi, & Augustini, ita Isidori Dicta retinenda esse, ubi contigerit inusitatum negotium, quod per Canones minimè definiri possit.

possit. Plures etiam ex ejusdem scriptis sententiæ inter canonicas Ecclesiæ leges relatæ conspiciuntur. Præfuit Concilio Toletano Quarto, omnium Hispaniæ celeberrimo. Deniq; cùm ab Hispania Arianam hæresim eliminasset, morte sua, & Regni vastatione à Saracenorum armis publicè prænuntiata, postquā quadraginta circiter annos suam rexisset Ecclesiam, Hispali migravit in cælum annô sexcentesimô trigesimô sextô. Ejus corpus inter Leandrum fratrem, & Florentinam sororem, ùt ipse mādaverat, primò conditum, Ferdinandus primus Castellæ, & Legionis Rex ab Eneto Saraceno Hispali dominante magno pretio redemptum Legionem transtulit, & in ejus honorem Templum ædificatum est, ubi miraculis clarus, magna populi devotione colitur.

℟. Iste est.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum. *Cap:* 5.

Lectio VII.

IN illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia S. Isidori Episcopi.

Ex lib: 2. Officiorum ad S. Fulgentium Cap: 5.

QUi in erudiendis, atq; instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cùm illi statim possit correctus ingerere, antè doce te, quæ recta sunt? Primitùs quippè semetipsum corrigere debet, qui alios ad benè vivendum admonere studet, ita; ut in omnibus semetipsum formam vivendi præbeat, cunctosq; ad bonum opus, & doctrinâ, & opere provocet. Cui etiam scientia scripturarum necessaria est. Quia si Episcopi tantùm sancta sit vita, sibi soli prodest, sic vivens. Porrò si & doctrina, & sermone fuerit eruditus, potest cæteros quoq; instruere, & docere suos, & adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint, atq; convicti, facilè possunt simplicium corda pervertere.

℟. Amavit eum Dominus.

Lectio VIII.

HUjus sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis, & honestatis, plenus suavitatis, & gratiæ, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de disciplina justitiæ: unumquemq; admonens diversa exhortatione, juxta professionem, morumq; qualitatem, scilicèt,

licet, ut prænoscat quid, cui, quando, vel quomodo proferat. Cujus præ cæteris speciale officium est, scripturas legere, percurrere Canones, exempla Sanctorum imitari, vigilijs, jejunijs, orationibus incumbere, cum fratribus pacem habere, nec quemquam de membris suis discerpere, nullum damnare, nisi comprobatum, nullum excommunicare, nisi discussum. Quiq; ita humilitate pariter, & authoritate præesse debet, ut neq; per nimiam humilitatem suam subditorum vitia convalescere faciat, neq; per immoderantiã severitatis potestatem exerceat, sed tantò cautiùs erga commissos sibi, quantò duriùs à CHRISTO indagari formidat.

℟. In medio Ecclesiæ aperuit.

In Quadragesima dicitur 9. Lectio de Homilia Feria occurr: & de ea fit commemoratio. aliàs.

Lectio IX.

TEnebit quoq; illam supereminentem donis omnibus charitatem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim castitatis charitas, locus autem hujus custodis humilitas. Habebit etiam inter hæc omnia castitatis eminẽtiam; ita ut mens CHRISTO dedita, ab omni inquinamento carnis sit munda, & libera. Inter hæc oportebit eum solicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas, ac pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere curam, providentiam habere distributione discreta. In quo etiam hospitalitas ita erit præcipua, ut omnes cum benignitate, & charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelium audire desiderant, hospes fui, & suscepistis me, quantò magìs Episcopus, cujus diversorium cunctorum debet esse receptaculum?

Te DEUM laudamus.

Missa de Communi Doctorum cum Credo.

DIE V. APRILIS.

In Festo S. Vincentij Ferrerij Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter Orationem propriam, & Lectiones secundi Nocturni.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclesiam tuam Beati Vincentij Confessoris tui meritìs, & prædicatione illustrare dignatus es: concede nobis famulis tuis; ut & ipsius instruamur exemplis, & ab omnibus ejus patrociniô liberemur adversis. Per Dominum nostrum.

Lectiones Primi Nocturni de Scriptura occurrente. Si verò celebretur in Quadragesima. Beatus Vir. *ex Comm. Conf. non Pontif. secundô locô.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

VIncentius honestâ stirpe Valentiæ in Hispania natus, ab ineunte ætate cor gessit senile. Qui dũ caliginosi hujus sæculi labilẽ cursum pro ingenij sui modulo cõsideraret, Religionis habitum in Ordine Prædicatorum decimô octavô ætatis suæ annô suscepit: & emissa solemni professione sacris literis sedulò incumbens, Theologiæ Lauream summa cum laude consecutus est. Mox obtentâ à Superioribus licentiâ verbum DEI prædicare, Judæorum perfidiam arguere, Saracenorum errores confutare tanta virtute, & efficacia cœpit, ut ingentem ipsorum infidelium multitudinem ad CHRISTI fidem perduxerit, & multa Christianorum millia, à peccatis, ad pœnitentiam, à vitijs, ad virtutem revocârit. Electus enim à DEO, ut monita salutis in omnes Gentes, tribus, & lingvas diffunderet, & extremi tremendiq; judicij diem appropinquare ostenderet, omnium auditorum animos terrore concussos, atq; à terrenis affectibus avulsos, ad DEI amorem, excitabat. ℟. Honestum fecit.

Lectio V.

IN hoc autem Apostolico munere hic vitæ ejus tenor perpetuus fuit. Quotidie Missam summo manè cum cantu celebravit, quotidie ad populum concionem habuit; inviolabile semper jejunium, nisi urgens adesset necessitas, servavit: sancta & recta consilia nulli denegavit; carnes nunquam comedit, nec vestem lineam induit, populorum jurgia sedavit, dissidentia Regna pace composuit: & cùm vestis inconsutilis Ecclesiæ diro schismate scinderetur, ut uniretur, & unita servaretur, plurimùm laboravit. Virtutibus omnibus claruit, suosq; detractores & persecutores, in simplicitate & humilitate ambulans, cum mansvetudine recepit, & amplexus est. ℟. Amavit eum.

Lectio VI.

PEr ipsum divina virtus, in confirmationem vitæ & prædicationis ejus, multa signa, & miracula fecit. Nam frequentissimè super ægros manus imposuit, & sanitatem adepti sunt: spiritus immundos è corporibus expulit; surdis auditum, mutis loquelam, cæcis visum restituit: leprosos mundavit, mortuos suscitavit. Senio tandem & morbo confectus infatigabilis Evangelij præco, plurimis Europæ Provincijs cum ingenti animarum fructu peragratis, Venetiæ in Britannia Minori prædicationis & vitæ cursum feliciter consummavit, annô salutis millesimô quadringentesimô decimô nonô, quem Callistus Tertius Sanctorum numero adscripsit. ℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Sint lumbi vestri præ-

præcincti. *De Communi Confessoris non Pontificis.*

Missa. Os justi. *cum Oratione propria.* DEUS, qui Ecclesiam tuam. *ut suprà.*

DIE XIII. APRILIS.

In Festo S. Hermenegildi Martyris.
Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea quæ sequuntur.

In utrisq; Vesperis & Laudibus.

HYMNUS.

REgali solio fortis Iberiæ
Hermenegilde jubar, gloria Martyrum,
CHRISTI quos amor almis
Cæli cœtibus inserit.
Ut perstas patiens pollicitum DEO
Servās obsequium! quo potiùs tibi
Nil proponis, & arces
Cautus noxia, quæ placent.
Ut motus cohibes, pabula qui parant
Surgentis vitij, non dubios agens
Per vestigia gressus,
Quò veri via dirigit!
Sit rerū Domino jugis honor Patri,
Et Natum celebrent ora precantiū,
Divinumq; supremis
Flamen laudibus efferant. A.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Hermenegildum Martyrem tuum cælesti regno terrenum postponere docuisti: da quæsumus nobis ejus exēplo caduca despicere, atq; æterna sectari. Per Dominum nostrum.

Si celebretur in Quadragesima, fit commemor. Feriæ in utrisq; Vesperis & Laudibus.

Ad Matutinum HYMNUS.

NUllis te genitor blāditijs trahit,
Non vitæ caperis divitis otio,
Gemmarumvè nitore,
Regnandivè cupidine.
Diris non acies te gladij minis,
Nec terret perimēs carnificis furor:
Nam mansura caducis
Præfers gaudia Cælitum.
Nunc nos è Superū protege sedibꝰ
Clemens, atq; preces, dum canimus tua
Quæsitam nece palmam,
Pronis auribus excipe.
Sit rerū Domino jugis honor Patri,
Et Natum celebrent ora precantiū,
Divinumq; supremis
Flamen laudibus efferant. A.

In primo Nocturno, si celebretur in Quadragesima, Fratres debitores sumus non carni. *de Communi plurimorum Martyrum. Si verò post Pascha, Lectiones de Scriptura occurrente.*

In Secundo Nocturno.

Ex libro Dialogorum S. Gregorij Papæ, *Lib. 3. Cap. 31.*

Lectio IV.

HErmenegildus Rex, Leovigildi Regis Visigothorum filius, ab Ariana hæresi ad fidem Catholicam viro Reverendissimo Leandro Hispalensi Episcopo, dudum mihi in amicitijs familiariter juncto, prædicante, conversus est. Quem pater Arianus, ut ad eamdem hæresim rediret, & præmijs svadere,

& minis terrere conatus est. Cùmq; ille cõstantissimè responderet, nunquam se veram fidem posse relinquere, quam semel agnovisset; iratus Pater eum privavit regnô, rebusq; expoliavit omnib9. Cùmq; nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset; in arcta illum custodia concludens, collum, manusq; illius ferro ligavit. Cæpit itaq; Hermenegildus Rex juvenis terrenum regnum despicere, & forti desiderio cælestè quærens, in cilicijs vinculatus jacens, omnipotenti DEO, ad confortandum se, preces effundere; tantòq; sublimiùs gloriam transeuntis mundi despicere, quantò & religatus agnoverat nihil fuisse, quod potuerit auferri. ℟. Honestum fecit.

Tempore Paschali. ℟. Lux perpetua.

Lectio V.

SUperveniente autem Paschalis festivitatis die, intempestæ noctis silentiô ad eum perfidus Pater Arianum Episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atq; per hoc ad Patris gratiam redire mereretur. Sed vir DEO deditus, Ariano Episcopo venienti exprobravit, ut debuit, ejusq; à se perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etsi exteriùs jacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaq; reverso Episcopo, Arianus Pater infremuit, statimq; suos apparitores misit, qui constantissimum Confessorem DEI illic, ubi jacebat, occiderent; quod & factum est. Nam mox, ut ingressi sunt, securim cerebro ejus infigentes, vitam corporis abstulerunt, hocq; in eo valuerũt perimere, quod ipsum quoq; qui peremptus est, in se constiterat despexisse. Sed pro ostendenda vera ejus gloria, superna quoq; non defuêre miracula. Nam cæpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus ejusdem Regis & Martyris audiri: atq; ideò veraciter Regis, quia & Martyris. ℟. Desiderium.

Tempore Paschali. ℟. In servis suis.

Lectio VI.

QUidam etiam ferunt, quòd illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant. Unde & factum est, quatenus corpus illius, ut videlicèt Martyris, jure à cunctis fidelibus venerari debuisset. Pater verò perfidus, & parricida commotus pænitentiâ, hoc fecisse se doluit, nec tamen usq; ad obtinendam salutem pænituit. Nam quia vera esset Catholica fides agnovit, sed Gentis suæ timore perterritus, ad hanc pervenire non meruit. Qui, oborta ægritudine, ad extrema perductus est, & Leandro Episcopo, quem priùs vehementer afflixerat, Recaredum Regem filium suum, quẽ

in sua

in sua hæresi relinquebat, commendare curavit, ut in ipso quoq; talia faceret, qualia & in fratre suis exhortationibus fecisset. Qua commendatione expleta, defunctus est. Post cujus mortem Reccaredus Rex non patrem perfidum; sed fratrem Martyrem sequens, ab Arianæ hæreseôs pravitate conversus est, totamq; Visigothorum Gentem ita ad veram perduxit fidem, ut nullum in suo regno militare permitteret, qui Regni DEI hostis existere per hæreticam pravitatem non timeret. Nec mirum quòd veræ fidei prædicator factus est, qui frater est Martyris: cujus hunc quoq; merita adjuvant, ut ad omnipotentis DEI gremium tam multos reducat.

℟. Stola jucunditatis.

Tempore Pasch. ℟. Filiæ Jerusalem.

In tertio Nocturno, etiamsi celebretur tempore Paschali, Homilia S. Gregorij Papæ in Evangelium. Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum. *de Communi unius Martyris. & si celebretur in Quadragesima, nona Lectio de Homilia Feriæ occurrentis. Si autem celebretur tempore Paschali, omnia dicuntur ùt in Communi unius Martyris tempore Paschali, præter Orationem propriam cum Hymnis, & Evangelio ùt supra.*

✠ *Commune SS. Martyrum tempore Paschali habetur cum alijs Communibus, in Breviario.*

DIE XXI. APRILIS.

In Festo S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, & Conf. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter ea quæ hìc habentur.

Antiphona ad Magnificat in utrisq; Vesperis. O Doctor optime.

ORATIO.

DEUS, qui populo tuo æternæ salutis Beatum Anselmum ministrum tribuisti, præsta quæsumus; ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

ANselmus, Augustæ Prætoriæ in finibus Italiæ, Gundulpho, & Ermemberga, nobilibus & Catholicis parentibus natus, à teneris annis assiduo literarum studio, atq; perfectioris vitæ desiderio, non obscurum futuræ sanctitatis, & doctrinæ specimen dedit. Et licèt juvenili ardore aliquando ad sæculi illecebras traheretur, brevi tamen in pristinam viam revocatus, patriâ, & bonis omnibus derelictis, ad Monasterium Beccense Ordinis Sancti Benedicti se contulit: ubi emissa regulari Professione sub Herluino Abbate observantissimo, & Lanfranco viro doctissimo, tanto animi fervore, & jugi studiô in literis, & virtuti-

bus assequendis profecit, ut mirum in modum tanquam sanctitatis, & doctrinæ exemplar ab omnibus haberetur.

℟. Inveni David.

Lectio V.

ABstinentiæ & continentiæ tantæ fuit, ut assiduitate jejunij omnis penè ciborum sensus in eo videretur extinctus. Diurno enim tempore in exercitijs Monasticis docendo, & respondendo varijs de Religione quæsitis, emenso, quod reliqvum erat noctis, somno subtrahebat, ut divinis meditationibus, quas perenni lacrymarum imbre fovebat, mentem recrearet. Electus in Priorem Monasterij, invidos fratres ita charitate, humilitate, & prudentiâ lenivit, ut quos æmulos acceperat, sibi, & DEO amicos, maximo cum regularis observantiæ emolumento redderet. Mortuo Abbate, & in ejus locum (licèt invitus) suffectus, tantâ doctrinæ & sanctitatis famâ ubiq; refulsit, ut non modò Regibus, & Episcopis venerationi esset, sed sancto Gregorio Septimo etiam acceptus. qui tunc magnis persecutionibus agitatus, literas amoris plenas ad eum dedit, quibus se, & Ecclesiam Catholicam ejus orationibus commendabat.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

DEfuncto Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi ejus olim præceptore, Anselmus, urgente Willelmo Angliæ rege, & instantibus clero, ac populo, ipso tamen repugnante, ad ejusdem Ecclesiæ regimen vocatus, statim (ut corruptos populi mores reformaret) verbô, & exemplô priùs, dein scriptis, & Concilijs celebratis; pristinam pietatem & Ecclesiasticam disciplinam reduxit. Sed cùm mox idem Willelmus rex vi, & minis Ecclesiæ jura usurpare tentasset, ipse sacerdotali constantia restitit; bonorumq; direptionem, & exilium passus, Romam ad Urbanum Secundum se contulit, à quo honorificè exceptus, & summis laudibus ornatus est, cùm in Barensi Concilio Spiritum sanctum etiam à Filio procedentem contra Græcorum errorem innumeris Scripturarum & sanctorum Patrum testimonijs propugnasset. E vivis Willelmô sublatô, ab Henrico Rege ejus fratre in Angliam revocatus, obdormivit in Domino, famam non solùm miraculorum, & sanctitatis (præcipuè ob insignem devotionem erga Domini nostri Passionem, & Beatam Virginem ejus Matrem) assecutus, sed etiam doctrinæ, quam ad defensionem Christianæ Religionis, animarum profectum, & omnium Theologorum, qui sacras literas scholastica

ſtica methodo tradiderunt, normam cælitus hauſiſſe ex ejus libris omnibus apparet.

℟. Iſte eſt, qui.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio VII. Capi 5. b.

IN illo tempore: dixit JESUS diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Epiſcopi.

Cōment: in Matth: can: 5. poſt init.

VOs eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal infatuatum fuerit, ad nihilum valet id quod ſalietur. Sal, ut arbitror, terræ nullum eſt: quomodo ergo Apoſtolos ſal terræ nūcupavit? ſed proprietas eſt quærenda dictorum, quam & Apoſtolorum officium, & ipſius ſalis natura monſtrabit. Sal eſt in ſe uno continens aquæ & ignis elementum; & hoc ex duobus eſt unum.

℟. Amavit eum.

Lectio VIII.

HIc igitur in omnem uſum humani generis effectus, incorruptionem corporibus, quibus fuerit aſperſus, impertit, & ad omnem ſenſum conditi ſaporis aptiſſimus eſt. Apoſtoli autem ſunt rerum cæleſtium prædicatores, & æternitatis velut ſatores, immortalitatem omnibus corporibus quibus eorum ſermo aſperſus fuerit, conferentes. Meritò igitur ſal terræ nuncupati ſunt, per doctrinæ virtutem ſaliendi modo æternitati corpora reſervantes.

℟. In medio Eccleſiæ.

Lectio IX.

SEd natura ſalis ſemper eadem eſt, nec immutari unquam poteſt. Verùm quia converſioni homo ſubjacet, & ſolus beatus, qui uſq; ad finem in omnibus DEI operibus permanſerit: id ò eos ſal terræ nuncupatos monet in traditæ ſibi poteſtatis virtute perſiſtere, ne infatuati nihil ſaliant, & ipſi, ſenſu accepti ſaporis amiſſo, vivificare corrupta non poſſint, & projecti de Eccleſiæ prōptuarijs, cum his, quos ſalierint, pedibus incedentium proterantur.

Te DEUM laudamus.

Miſſa. In medio Eccleſiæ, *de Communi Doctorum. cum* Credo.

DIE V. MAIJ.

In Feſto S. Pij Quinti, Papæ & Confeſſoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſoris Pontificis, præter ea, quæ ſequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui ad conterendos Eccleſiæ tuæ hoſtes, & ad divinum cultum reparandum, PIUM Quintum Pontificem Maximum eligere dignatus es: fac nos ipſius defendi præſidijs, & ita tuis inhærere obſequijs: ut omnium hoſtium ſuperatis inſidijs, perpetua pace lætemur. Per Dominum.

In

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

PIus in Oppido Insubriæ, quod Boschum vocant, natus, sed è Bononia oriundus ex nobili Ghisleriorum familia, cùm quatuordecim esset annorum, Ordinem Prædicatorum ingressus est. Erat in eo admirabilis patientia, profunda humilitas, summa vitæ austeritas, continuum Orationis studium, & regularis observantiæ, ac Divini honoris ardentissimus zelus. Philosophiæ verò ac Theologiæ incumbens, adeò in ijs excelluit, ut illas docendi munus magna cum laude per multos annos exercuerit. Sacras conciones pluribus in locis cum ingenti auditorum fructu habuit. Inquisitoris officium inviolabili animi fortitudine diu sustinuit, multasq; Civitates, non sine vitæ discrimine, ab hæresi tunc grassante immunes servavit.

℟. Inveni David servum.

Lectio V.

A Paulo Quarto, cui ob eximias virtutes charissimus erat, ad Nepesinum & Sutrinum Episcopatum promotus, & post biennium inter Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Cardinales adscriptus fuit. Tum ad Ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis à Pio quarto translatus, cùm plures in eam abusus irrepsisse cognovisset, totam Diœcesim lustravit, rebusq; compositis, Romam reversus, gravissimis expediendis negotijs applicatus, quod justum erat Apostolica libertate, & constantia decernebat. Mortuô autem Piô, præter omnium expectationem electus Pontifex, nihil in vitæ ratione, excepto exteriori habitu, immutavit. Fuit in eo religionis propagandæ perpetuum studium, in Ecclesiastica disciplina restituenda indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ juribus vindicãdis robur invictum.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

SElimum Turcarum Tyrannum multis elatum victorijs, ingente comparata classe, ad Echinadas insulas, non tam armis, quàm fusis ad DEUM precibus devicit. Quam victoriam ea ipsa hora, quâ obtenta fuit, DEO revelante, cognovit, suisq; familiaribus indicavit. Dum verò novam in ipsos Turcas expeditionem molitur, in gravem morbum incidit, & acerbissimis doloribus patientissimè toleratis, ad extrema deveniens, cùm Sacramenta de more suscepisset, animam DEO placidissimè reddidit, annô millesimô quingentesimô septuagesimô secũdô,

dô, ætatis suæ sexagesimô octavô, cùm sedisset annos sex, menses tres, dies viginti quatuor. Corpus ejus in Basilica S. MARIÆ ad Præsepe, summa fidelium veneratione colitur, multis à DEO ejus intercessione patratis miraculis. Quibus ritè probatis, à Clemente XI. Pontifice Maximo, Sanctorum numero adscriptus est.

℟. Iste est qui ante DEUM.

In Tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorij Papæ in Evangelium, Homo peregrè proficiscens. *ut in Communi Confessoris Pontificis.*

Missa. Statuit ei Dominus. *de Communi Confess. Pontificis.*

DIE VII. MAIJ.

In Festo S. Catharinæ Senensis Virginis. Duplex. Officium translatum ex 30. Aprilis, propter perpetuum occursum cum Die octava S. Adalberti, Episcopi & Martyris, Patroni Regni Poloniæ. Siquidem eadem dies vij. Maij. pro die propria, ac prima proximè non impedita post Octavam S. Adalberti Episc. Martyr. assignata esse censeatur. Quod colligitur ex Decreto à S. Rit: Congregatione 18. Octobris 1696. lato.

Omnia dicuntur de Communi Virg. non Martyr: præter hìc signata.

ORATIO.

DA quæsumus omnipotens DEUS: ut qui Beatæ Catharinæ Virginis tuæ natalitia colimus, & annua solemnitate lætemur, & tantæ virtutis proficiamus exemplo. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

CAtharina, Virgo Senensis, pijs orta parentibus, Beati Dominici habitum, quem Sorores de Pœnitentia gestant, impetravit. Summa ejus fuit abstinentia, & admirabilis vitæ austeritas. Inventa est aliquando à die Cinerum usq; ad Ascensionem Domini jejunium perduxisse, sola Eucharistiæ communione contenta. Luctabatur quàm frequentissimè cum dæmonibus, multisq; illorum molestijs vexabatur; æstuabat febribus, nec aliorum morborum cruciatu carebat. Magnum & sanctum erat Catharinæ nomen, & undiq; ad eam ægroti, & malignis vexati spiritibus deducebãtur. Langvoribus & febribus in Christi nomine imperabat, & dæmones cogebat ab obsessis abire corporibus.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

CUm Pisis immoraretur, die Dominico, refecta cibo cælesti, & in extasim rapta, vidit Dominum crucifixum magno cum lumine advenientem, & ex ejus Vulnerum cicatricibus quinq; radios ad quinq; loca sui corporis descendentes; ideoq; mysterium adver-

vertens, Dominum precata, ne cicatrices apparerent; continuò radij colorem sangvineum mutaverunt in splendidum, & in formam puræ lucis pervenerunt ad manus, pedes, & cor ejus: ac tantus erat dolor, quem sensibiliter patiebatur, ut nisi DEUS minuisset, brevî se crederet morituram. Hanc itaq; gratiam amantissimus Dominus novâ gratiâ cumulavit, ut sentiret dolorem illapsa vi vulnerum, & cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse cum DEI famula Confessario suo Raymundo retulisset, ut oculis etiam repræsentaretur, radios in imaginibus Beatæ Catharinæ ad dicta quinq; loca pertingentes, pia fidelium cura pictis coloribus expressit. ℟. Dilexisti.

Lectio VI.

DOctrina ejus infusa, non acquisita fuit; sacrarum literarum Professoribus difficillimas de divinitate quæstiones proponentibus respondit. Nemo ad eam accessit, qui non melior abierit; multa extinxit odia, & mortales sedavit inimicitias. Pro pace Florentinorum, qui cum Ecclesia diffidebant, & interdicto Ecclesiastico suppositi erāt, Avenionem ad Gregorium Undecimum Pontificem Maximum profecta est; cui etiam votum ejus de petenda Urbe, soli DEO notum, sese divinitus cognovisse monstravit: deliberavitq; Pontifex, ea etiam svadente, ad Sedem suam Romanam personaliter accedere; quod & fecit. Eidem Gregorio, & Urbano Sexto ejus successori, acceptissima fuit, adeò; ut legationibus eorum fungeretur. Deniq; post innumera virtutum insignia, donô prophetiæ, & pluribus clara miraculis, annô ætatis suæ tertiô circiter & trigesimô migravit ad Spōsum. Quam Pius Secundus Pontifex Maximus sanctarum Virginum numero adscripsit.

℟. Afferentur Regi.

In tertio Nocturno. Homilia in Evāg. Simile erit regnum cælorum decē Virginibus. *ut in Communi Virg.*

DIE XVI. MAIJ.

In Festo S. Ioannis Nepomuceni Martyris. Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris non Pontificis tempore Paschali, (nisi hoc Festum celebretur, aut transferatur post Pascha) dicuntur; præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui ob invictum Beati Joannis Sacramētale Silentium novâ Ecclesiam tuam Martyrij coronâ decorâsti: da nobis ejus intercessione & exemplo lingvam cautè custodire; ac omnia potiùs mala, quàm animæ detrimentum, in hoc sæculo tolerare. Per Dominum.

In

In Primo Nocturno Lectiones de Scri-ptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

JOannes Nepomuci Bohemiæ Oppido, unde Nepomuceni cognomen duxit, à parentibus ætate provectis, non sine futuræ sanctitatis præsagio, flammîs suprà nascentis domum mirabiliter collucentibûs, ortus est. Cùm infans in gravem morbum incidisset, Beatæ Virginis ope, cui natum parentes referebant acceptum, è vitæ periculo evasit incolumis. Egregia indole, piâq; institutione cælestibus indicijs obsequente, inter sanctas, religiosasq; exercitationes pueritiam egit; nam Ecclesiam frequenter adire, ac Sacerdotibus ad aras operantibus ministrare in delicijs habebat. Zatecij politioribus literis ad humanitatem informatus; Pragæ verò gravioribus disciplinis excultus, Philosophiæ, Theologiæ, Sacrorumq; Canonum Magisterium, & lauream emeruit. Sacerdotiô initiatus, atq; à scientia Sanctorum ad lucra animarum ritè comparatus, ministerio verbi DEI se penitùs addixit. Cùm igitur in vitijs extirpandis, & revocandis in viam salutis errantibus eloquentiâ & pietate uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelij coram Rege Venceslao Quarto prædicandi Provinciam suscepit, eo successu, ut Joannis suasu multa Rex faceret, magnoq; in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit, dignitates, DEI Servus, ne à Divini verbi præconio avocaretur, constantissimè recusavit. ℟. Honestum. *vel* Lux perpetua.

Lectio V.

REgijs illum eleëmosynis in pauperes erogandis præfectum Joanna Regina conscientiæ sibi moderatorem adscivit. Cùm autem Venceslaus ab officio, institutoq; decessisset, atq; in vitia præceps abriperetur; piæ autem conjugis obtestationes, & monita gravatè ferret, contendere ausus est, ut in Sacramentali judicio Sacerdoti credita Reginæ arcana sibi à Joanne panderentur. At DEI Minister blanditijs primùm, tormentis deindè, & carceris squalore tentatus, nefariæ Regis cupiditati fortiter obstitit. Furentem tamen Venceslai animum cùm ab execrando proposito nec humana, nec Divina jura deterrerent, supremum agonem, quem instare sibi Athleta CHRISTI noverat, populo in concione de impendentibus etiam Regni calamitatibus admonito, non obscurè prænunciavit. Mox Boleslaviam profectus, ad B. Virginis imaginem antiquo cultu celebrem, cæleste præ-

præsidium ad certandum bonum certamen effusis precibus imploravit. Indè vesperi revertentem in pervigilio Dominicæ Ascensionis Rex è fenestra conspicatus arcessit; cùmq; vehementiùs urgeret, & proximam in aquis, si obluctari pergeret, submersionem intentaret, Joannes invictâ constantiâ terrores, minasq; refutavit. Itaq; Regis imperio in Moldavam flumen Pragam interfluens noctu dejectus, illustrem Martyrij coronam est consecutus.

℟. Desiderium. *vel* In servis suis.

Lectio VI.

SAcrilegum facinus clam patratum, & Martyris gloriam insigne prodigium divinitùs patefecit. Ubi enim exanime corpus secundo flumine vehi cæpit, ardentes faces aquis supernatantes, & discurrentes apparuerunt. Quamobrem ex arena postridie manè Corpus elatum, Canonici deinde Regis iram nihil timentes, in Metropolitanam Ecclesiam solemni pompa intulerunt, & sepulturæ mandārūt. Cùm autem in dies invicti Sacerdotis memoria miraculis: & maxima fidelium, eorum præcipuè, qui fama periclitantur, veneratione cresceret, post annos demum ampliùs trecentos, in juridica recognitione Corporis, quod sub humo tam diu jacuerat, lingva ejus incorrupta, & vivida reperta est; quæ sexto pòst anno Judicibus à Sede Apostolica delegatis exhibita, novô prodigiô repentè intumuit, & subobscurum ruborem in purpureū commutavit. His itaq; alijsq; signis ritè probatis, Benedictus XIII. Papa Maximus, die decima nona Mensis Martij annô salutis millesimô septingentesimô vigesimô nonô, primum hunc Sacramentalis Sigilli assertorem, Arcani fidem sangvine obsignantem Sanctorum Martyrum catalogo adscripsit. ℟. Stola jucunditatis. *vel* Filiæ Jerusalem.

In Tertio Nocturno Homilia S. Hilarij Episcopi, in Evangelium. Nihil est opertum, quod non revelabitur. *Ex Festo S. Polycarpi Episc. Martyris. die 26. Ianuarij. ùt in Breviario.*

Vel in Tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Ego sum vitis vera. *de Cōmuni unius Mart: tempore Pasch.*

DIE XVII. MAIJ.

In Festo S. Monicæ Viduæ, Matris S. Augustini. Semiduplex. Officium translatum habens hanc diem propriam ex 4ta ejusdem Mensis assignatam in Eccles. Cath. & S. Floriani Crac. ob occurrentiam perpetuam Festi Sancti Floriani Mart. Patroni Regni Poloniæ.

Omnia de Communi SS. nec Virg. nec Mart. præter ea, quæ hìc habentur.

ORATIO.

DEUS mærentium consolator, & in te sperantium salus, qui Beatæ Monicæ pias lacrymas in-

con-

conversione filij sui Augustini misericorditer suscepisti: da nobis utriusq; interventu peccata nostra deplorare, & gratiæ tuæ indulgentiam invenire. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

MOnica, S. Augustini dupliciter Mater, quia eum & mundo, & cælo peperit, maritó mortuô, quem senectute confectum JESU Christo conciliavit; castam & operibus misericordiæ exercitam viduitatem agebat: in assiduis verò ad DEUM orationibus pro filio, qui in Manichæorum sectam inciderat, lacrymas effundebat: quem etiam Mediolanum secuta est: ubi ipsum frequenter hortabatur, ut ad Episcopum Ambrosium se conferret. Quod cùm ille fecisset, ejus & publicis concionibus, & privatis colloquijs Catholicæ fidei veritatem edoctus, ab eodem baptizatus est. ℟. Propter veritatem.

Lectio V.

MOx in Africam redeuntes, cùm ad Ostia Tiberina constitissent, incidit in febrem. Quo in morbo, cùm eam quodam die anima defecisset, ut se collegit; Ubi, inquit, eram? Et astantes intuens: Ponite hic Matrem vestram: tantùm vos rogo, ut ad Altare Domini memineritis mei. Nono autem die Beata Mulier animam DEO reddidit. Ejus corpus ibi in Ecclesia sanctæ Aureæ sepultum est; quod postea Martino Quinto Summo Pontifice Romam translatum, in Ecclesia S. Augustini honorificè conditum est.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI. Ex lib. 9. Conf. Cap. 12.

SUbdit verò Augustinus de Matris morte disserens: Neq; enim decere arbitrabamur funus illud questubus lacrymosis gemitibusq; celebrare, quia illa nec miserè, nec omninò moriebatur: hoc & documentis morum ejus, & fide non ficta, rationibusq; certis tenebamus. Atq; inde paulatim reducebam in pristinum sensum ancillam tuam, conversationemq; ejus piam in te & sanctam; in nos blandam, atq; morigeram, quâ subitò destitutus sum, & libuit flere de illa, & pro illa: & si quis peccatum invenerit, flevisse me Matrem meam exigua parte horæ, Matrem oculis meis mortuam, quæ me multos annos fleverat, ut oculis suis viverem, non irrideat; sed potiùs, si est grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipse ad te Patrem omnium fratrum CHRISTI tui.

℟. Fallax gratia.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII. Cap. 7.

IN illo tempore: Ibat JESUS in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo Discipuli ejus, & turba copiosa. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Sermo: 44. de verbis Dñi circa initium.

DE juvene illo resuscitato gavisa est mater vidua: de hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet Mater Ecclesia. Ille quidem mortuus erat corpore: illi autem mente. Illius mors visibilis, visibiliter plangebatur: illorum mors invisibilis nec quærebatur, nec videbatur. Quæsivit ille, qui noverat mortuos. Ille solus noverat mortuos, qui poterat facere vivos. Nisi enim ad mortuos suscitandos venisset, Apostolus non diceret: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te CHRISTUS.

℟. Os suum aperuit.

Lectio VIII.

TRes autem mortuos invenimus à Domino resuscitatos visibiliter, millia invisibiliter. Quot autem mortuos visibiliter suscitaverit, quis novit? Non enim omnia, quæ fecit, scripta sunt, Joannes hoc dixit: Multa alia fecit JESUS: quæ si scripta essent; arbitror, totum mundum non posse libros capere. Multi ergo sunt alij sine dubio suscitati, sed non tres frustra commemorati. Dominus enim noster JESUS Christus, ea, quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi. Neq; enim tantùm miracula propter miracula faciebat: sed ut illa, quæ faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus.

℟. Regnum mundi.

Lectio IX.

QUemadmodum, qui videt literas in codice optimè scripto, & non novit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinem: sed quid sibi velint, quid indicent illi apices, nescit, & est oculis laudator, mente non cognitor. Alius autem & laudat artificium, & capit intellectum: ille utiq;, qui non solùm videre, quod commune est omnibus, potest, sed etiam legere; quod, qui non didicit, non potest. Ita qui viderunt CHRISTI miracula, & non intellexerunt, quid sibi vellent, & quid intelligentibus quodammodo innuerent, mirati sunt tantùm quia facta sunt: alij verò & facta mirati, & intellecta assecuti. Tales nos in schola CHRISTI esse debemus. Te DEUM laudamus.

Missa. Cognovi Domine. *cum Oratione propria suprà posita. Epistola* Viduas honora. *ex Communi nec Virginis nec Mart: secundô locô. Evangelium.* Ibat JESUS in civitatem quæ vocatur Naim: *ex Dominica XV. post Pentecosten sumitur.*

DIE

DIE XVIII. MAIJ.

In Festo S. Venantij Martyris.
Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris tempore Paschali, præter ea quæ hic habentur propria.

Ad Vesperas.

HYMNUS.

MArtyr DEI Venantius,
Lux & decus Camertium,
Tortore victo & judice
Lætus triumphum concinit.
Annis puer, post vincula,
Post carceres, post verbera,
Longa fame frementibus
Cibus datur leonibus.
Sed ejus innocentiæ
Parcit leonum immanitas,
Pedesq; lambunt martyris,
Iræ famisq; immemores.
Verso deorsum vertice
Haurire fumum cogitur:
Costas utrimq; & viscera
Succensa lampas ustulat.
Sit laus Patri, sit Filio,
Tibiq; sancte Spiritus:
Da per preces Venantij
Beata nobis gaudia. Amen.

ORATIO.

DEUS, qui hunc diem beati Venantij Martyris tui triumphô consecrâsti: exaudi preces populi tui, & præsta; ut qui ejus merita veneramur, fidei constantiam imitemur. Per Dominum.

Ad Matutinum,

HYMNUS.

ATHleta CHRISTI nobilis
Idola damnat Gentium,
DEIq; amore saucius
Vitæ pericla despicit.
Loris revinctus asperis
E rupe præceps volvitur:
Spineta vultum lancinant:
Per saxa corpus scinditur.
Dum membra raptant martyris,
Langvent siti satellites:
Signô Crucis Venantius
E rupe fontes elicit.
Bellator ô fortissime,
Qui perfidis tortoribus
E caute præbes poculum,
Nos rore gratiæ irriga.
Sit laus Patri, sit Filio,
Tibiq; Sancte Spiritus:
Da per preces Venantij
Beata nobis gaudia. Amen.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

VEnantius Camers quindecem annos natus, cùm Christianæ Religionis accusaretur apud Antiochum, qui sub Decio Imperatore Camerino præerat, in porta civitatis Præsidi se obtulit: quem ille pollicitationibus ac terroribus diu tentatum, flagris cædi, & vinculis astringi jussit: sed ijs mirabiliter ab Angelo solutus, lampadibus postea aduritur, atq; inverso ore fumô suppositô suspenditur. Ejus constantiam in tormentis demiratus Anastasius Cornicularius; & quòd eum ab Angelo iterùm solutum candida veste supra fumum

mum ambulātem vidisset, in CHRISTUM credidit, & à Beato Porphyrio Presbytero cum familia baptizatus, paulò pòst martyrij palmam cum eodem promeruit.

Tempore Paschali. ℟. Lux perpetua.

Extrà Tempus Paschale. ℟. Honestum fecit.

Lectio V.

AT Venantius Præsidi sistitur, & ab eo iterùm frustra tentatus; ut CHRISTI fidem desereret, in carcerem conijcitur: quò Attalus Præco mittitur, qui ei dicat, se quoq; Christianum fuisse, & ei nomini propterea renūtiasse, quòd cognovisset, inane esse fidei commentum, quo Christiani præsentibus se abdicant ob vanam futurorum spem. Verùm nobilis CHRISTI athleta callidi hostis insidias non ignorans, diaboli ministrum à se penitus rejecit. Quare ad Præsidem iterùm adducto omnes contusi sunt dentes, maxillæq; cōfractæ; atq; ita cæsus, in sterquilinium deijcitur, sed inde ab Angelo quoq; ereptus, rursus stetit ante judicem: qui, Venantio adhuc loquente, à tribunali cecidit, & in ea voce: Verus est Venantij DEUS, nostros deos destruite, exclamans exspiravit.

Tempore Paschali. ℟. In servis suis.

Extrà tempus Paschale. ℟. Desiderium.

Lectio VI.

QUod cùm Præsidi nuntiatum esset, extemplò Venantium leonibus obijci jussit; qui naturali feritate omissa, ad ejus se pedes abjecerunt: interim ille populum CHRISTI fidem edocebat. Quare indè amotus, iterùm in carcerem traditur. Cumq; postridie Præsidi referret Porphyrius, se per visum noctu populos, quos Venantius aquâ tingebat, clarissima luce fulgentes, ipsum verò Præsidem obscurissima caligine opertum vidisse; Præses irâ incensus, eum illicò capite plecti imperat: deinde Venantium per loca vepribꝰ & carduis consita trahi usq; ad vesperam. Is cùm semianimis relictus esset, manè se iterùm Præsidi præsentavit; cujus jussu statim è rupe præcipitatur: sed inde etiam divinitus ereptus, denuò per loca aspera ad mille passus trahitur: ubi militibus siti æstuantibus, in proxima convalle, ex lapide, in quo & genuum formam reliquit, sicut etiam nunc in ejus Ecclesia videre licet, Crucis signô à Venantio factô, aquæ manârunt. Eo miraculô plures permoti, in CHRISTUM crediderunt: quos omnes Præses eò loci unà cum Venantio capite feriri jussit. Fulgura & terræ motus eo tempore ita magni fuêre, ut Præses aufugeret: qui paucis tamen pòst diebus divinam haud valens effugere

gere justitiam, turpissimam mortem oppetijt. Christiani interim Venantij, & aliorum corpora honorificô locô sepelierunt, quæ Camerini in Ecclesia Venantio dicata condita adhuc sunt.

Tempore Paschali. ℟. Filiæ Jerusalem.

Extrà tempus Paschale. ℟. Stola jucunditatis.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Augustini Episcopi in Evangelium. Ego sum vitis vera. *ut in Communi Mart. tempore Paschali.*

Si celebretur extrà tempus Paschale, erit Homilia S. Gregorij Papæ in Evangelium. Si quis venit ad me. *de Comm. unius Mart. imô locô.*

Ad Laudes.

HYMNUS.

DUm nocte pulsa lucifer
Diem propinquam nuntiat,
Nobis refert Venantius
Lucis beatæ munera.
Nam criminum caliginem,
Stygisq; noctem depulit:
Veroq; cives lumine
Divinitatis imbuit.
Aquis sacri baptismatis
Lustravit ille patriam:
Quos tinxit unda milites,
In astra misit martyres.
Nunc Angelorum particeps
Adesto votis supplicum;
Procul repelle crimina,
Tuumq; lumen ingere.
Sit laus Patri, sit Filio,
Tibiq; sancte Spiritus:
Da per preces Venantij
Beata nobis gaudia. Amen.

Vespera de S. Petro Cælestino Papa & Confessore, cum commemor. S. Venantij & Pudentianæ Virginis.

DIE XIX. MAIJ.

In Festo S. Petri Cælestini Papæ & Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confes. Pontif. præter ea, quæ seqvuntur.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Petrum Cælestinum ad summi Pontificatus apicem sublimasti; quiq; illum humilitati postponere docuisti; concede propitius; ut ejus exemplô cuncta mundi despicere, & ad promissa humilibus præmia pervenire feliciter mereamur. Per Dominum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

PEtrus, à nomine quo Pontifex est appellatus, Cælestinus dictus, honestis, Catholicisq; parentibus Æserniæ in Samnitibus natus, adolescentiam vix ingressus, ut animum à mundi illecebris custodiret, in solitudinem secessit. Ibi contemplationibus mentem nutriens, corpus in servitutem redigens, ferream catenam ad nudam carnem adhibebat. Congregationem, quæ posteà Cælestinorum dicta est, sub Regula S. Benedicti insti-

instituit. Hinc quasi lucerna super candelabrum posita; cùm abscondi nequiret (Romana Ecclesia diu viduata Pastore) in Petri Cathedram ignorans, & absens adscitus, magna novitatis admiratione non minùs quàm repentinô gaudiô cunctos affecit. Cùm autem in Pontificatus sublimitate collocatus, varijs distentus curis, assvetis incumbere meditationibus vix posse cognosceret; oneri pariter, & honori voluntariè cessit; indeq; priscam vitæ rationem repetens, obdormivit in Domino: ejusq; pretiosam mortem, Crux præfulgens, in àere ante cubiculi ostium reddidit, ampliùs gloriosam. Miraculis multis tam vivens, quàm post obitum claruit; quibus ritè examinatis Clemens Quintus, annô postquam decessit undecimô; Sanctorum numero adscripsit.

℟. Inveni David.

Lectio V. & VI. ex libro Moral. S. Gregorij Papæ. Deridetur justi simplicitas. *ùt in Communi Confess. non Pontificis.*

In tertio Nocturno. Homilia Venerabilis Bedæ Presb. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia. *ùt in Conversione S. Pauli Apostoli, die 25. Ianuarij, cum Nona Lectione & comm. S. Pudentianæ Virginis.*

In Secundis Vesperis ad Magnificat Antiph. Dum esset Summus Pontif.

DIE XX. MAIJ.

In Festo S. Bernardini Senensis, Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontific. præter Orationem & Lectiones secundi Nocturni.

ORATIO.

DOmine JESU, qui Beato Bernardino Confessori tuo, eximium sancti nominis tui amorem tribuisti: ejus, quæsumus, meritis & intercessione, spiritum nobis tuæ dilectionis benignus infunde. Qui vivis & regnas cum DEO Patre, in unitate ejusdem Spiritus.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

BErnardinus Albizesca, nobili Senensi familia ortus, ab ineunte ætate non obscura sanctitatis dedit indicia: nam à pijs Parentibus honestè educatus, neglectis puerilibus ludis, inter prima Grammaticæ studia, pietatis operibus animum intendit, jejunijs, orationi, & beatissimæ Virginis cultui præcipuè addictus. Misericordia verò in pauperes fuit insigni: quæ quidem omnia procedente tempore, quò meliùs posset excolere, eorum numero adscribi voluit, qui Senis in hospitali domo Beatæ MARIÆ de Scala, DEO inserviunt; undè complures sanctitate celebres viri prodierunt. Ibi corporis afflictatione, & ægro-

tan-

tantium curâ, dum atrox pestilentia grassaretur, incredibili charitate sese exercuit. Inter cæteras autem virtutes, castitatem, egregia forma repugnante, sanctissimè custodivit, adeò; ut eo præsente nemo umquam, nè impudentissimus quidem, verbum minùs honestum proferre auderet.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

GRavi morbo tentatus, eôq; ad quatuor menses patientissimè toleratô, demum incolumis, de religiosæ vitæ instituto capessendo deliberare cæpit: quô, ut sibi viam muniret, ædiculam in extrema Urbe conduxit, in quam, cùm sese abdidisset, asperrimam omni ex parte vitam trahebat, DEUM assiduè orans, ut quid sibi sequendum esset, ostenderet. Quare divinitùs factum est, ut Beati Francisci Ordinem præ cæteris optaret, in quo humilitate, patientiâ, alijsq; religiosi hominis virtutibus excelluit. Id, cùm Cænobij Rector animadverteret, jamq; anteà Bernardini doctrinam, & sacrarum literarum peritiam perspectam haberet; prædicandi onus eidem imposuit: quo humillimè suscepto, cùm se minùs idoneum agnosceret ob vocis exilitatem, ac raucitatem, DEI ope imploratâ non sinè miraculo ejusmodi impedimento liberatus est.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

CUmq; ea tempora vitijs, criminibusq; redundarent, & cruentis factionibus in Italia, divina humanaq; omnia permixta essent; Bernardinus urbes atq; oppida concursans, in nomine JESU, quem semper in ore & in pectore gerebat, collapsam pietatem, moresq; verbô & exemplô, magna ex parte restituit; quo factum est, ut præclaræ civitates eum sibi Episcopum à Summo Pontifice postularent: quod ille munus, invicta humilitate constantissimè rejecit. Deniq; Vir DEI, immensis laboribus exhaustus, multis, magnisq; editis miraculis, libris etiam piè doctèq; conscriptis, cùm vixisset annos sex ac sexaginta, in Urbe Aquila in Vestinis beato fine quievit, quem novis in dies coruscantem signis; annô post obitum sextô Nicolaus Quintus Pontifex Maximus, in Sanctorum numerum retulit. ℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno. Homilia S. Hieronymi Presbyt. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia. *de Communi Abb.*

DIE XXI. MAIJ.

In Festo S. Antonini Episcopi & Confessoris. Semiduplex. Locus proprius ex die 10. præsentis.

Omnia de Communi Confess. Pontificis, præter Orationem, & Lectiones, quæ sequuntur.

ORA-

ORATIO.

SAncti Antonini, Domine, Confessoris tui atq; Pontificis meritis adjuvemur: ut sicut te in illo mirabilem prædicamus, ita in nos misericordem fuisse gloriemur. Per Dominum nostrum.

In Hymno ad Matutinum. Iste Cōfessor, *dicatur.* Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

In Primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

ANtoninus, Florentiæ honestis parentibus natus, ab ipsa jam pueritia egregium futuræ sanctitatis specimen exhibuit. Annum agens sextum decimum, Religionem Prædicatorum amplexus, cœpit exinde maximis clarere virtutibus. Otio perpetuum bellum indixit: post nocturnum brevem somnum primis matutinis precib9 aderat; quibus persolutis, reliqvum tempus noctis orationibus, aut certè lectioni, & scriptioni librorum tribuebat; & si quando importunior fessis membris somnus obreperet, ad parietem paululùm declinato capite, ac tantisper discussô somnô, mox sacras vigilias avidiùs repetebat.

℟. Inveni David.

Lectio V.

DIsciplinæ regularis sui ipsius severissimus exactor, carnes, nisi in gravi ægritudine, numquam edit. Humi, aut in nudo tabulato cubabat; ciliciô semper usus, & interdum zonâ ferrea ad vivam cutem incinctus, virginitatem integerrimè semper coluit. In explicandis consilijs tantæ dexteritatis fuit, ut communi elogio Antoninus consiliorum diceretur. Adeò autem in eo humilitas enituit, ut etiam Cœnobijs, ac Provincijs præfectus abjectissima Monasterij officia demississimè obiret. Ab Eugenio Quarto Florentinus Archiepiscopus renuntiatus, ægerrimè tandem, nec nisi Apostolicis minis perterrefactus, ut Episcopatum acciperet, acquievit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

IN eo munere vix dici potest, quantum prudentia, pietate, charitate, mansvetudine, & sacerdotali zelo excelluerit. Illud mirandum, tantum ingenio valuisse, ut omnes fermè scientias per se nullo adhibito præceptore absolutissimè didicerit. Tandem post multos labores, multis etiam editis insignis doctrinæ libris, sacra Eucharistia, & Unctione percepta, complexus Crucifixi imaginem, mortem lætus aspexit sexto nonas Maij, millesimô quadringentesimô quinquagesimô nonô. Miraculis vivens, & post mortem conspicuus, Sanctorum numero adscriptus est ab Adriano Sexto, annô

Do-

Domini millesimô quingentesimô vigesimô tertiô.

℟. Iste est qui ante.

In Tertio Nocturno, Homilia in Evãgelium. Homo peregrè proficiscens. *de Comm. Confess. Pontif. primô locô.*

DIE XXII. MAIJ.

In Festo S. Vbaldi Episcopi & Confessoris. Semiduplex. Locus hic proprius ex die 16. currentis propter occurrentiam Festi S. Ioannis Nepomuc. Mart. ex Calendario Diacesis Crac.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, prater ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

AUxilium tuum nobis, Domine quæsumus, placatus impende, & intercessione Beati Ubaldi, Confessoris tui, atq; Pontificis, contra omnes diaboli nequitias dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

VBaldus, Eugubij in Umbria nobili genere natus, à primis annis pietate & literis egregiè est institutus: Jamq; adolescens, ut uxorem duceret, sæpè tentatus, numquam tamen à proposito servandæ virginitatis recessit. Sacerdos effectus, patrimonium suum pauperibus & Ecclesijs distribuit: & Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini institutum suscipiens, illud in Patriam transtulit, atq; in eo aliquamdiu sanctissimè vixit. Cujus sanctitatis opinione evulgata, ab Honorio secundo Summo Pontifice, Ecclesiæ Eugubinæ invitus præficitur, & Episcopalis consecrationis munere decoratur. ℟. Inveni.

Lectio V.

AD suam itaq; revertens Ecclesiam, cùm de consveta vivendi ratione, nihil admodùm immutasset, in omni tamen virtutum genere eò magis eminere cœpit, quò efficaciùs aliorum etiam salutem verbô & exemplô procuraret, factus forma gregis ex animo. Nam victu parco, vestitu moderato, lectulô asperô & pauperrimô, Crucis mortificationem jugiter in suo corpore circumferebat, dùm inexplebili orationis studio spiritum quotidiè recrearet. Hinc admirabilem illam mansvetudinem est adeptus, quâ gravissimas injurias, & contumelias non modò æquanimiter tulit, verùm etiam mirifico dilectionis affectu persecutores suos omni benignitatis testimoniô complectebatur.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

BIenniô, antequàm ex hac vita migraret, cùm diutinis afflictaretur infirmitatibus, inter acerbissimos corporis cruciatus, velut aurum in fornace purgatum, DEO gratias indesinenter agebat. Adveni.

veniente autem sacro Pentecostes die, cùm multis annis Ecclesiam sibi commissam, summa cum laude gubernâsset, sanctis operibus, ac miraculis clarus, quievit in pace: quem Cælestinus Papa Tertius in Sanctorum numerum retulit. Ejus virtus præcipuè in effugandis spiritibus immundis elucet. Corpus verò per tot sæcula incorruptum magna fidelium veneratione in patria colitur, quam non semel à præsenti discrimine liberavit.

℣. Iste est, qui ante DEUM.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Evang. Homo peregrè proficiscens. *ut in eodem Communi.*

DIE XXV. MAIJ.

In Festo S. Gregorij VII. Papæ & Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS in te sperantium fortitudo, qui Beatum Gregorium Confessorem tuum atq; Pontificem, pro tuenda Ecclesiæ libertate, virtute constantiæ roborasti: da nobis ejus exemplô & intercessione, omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemoratio S. Vrbani Papæ & Martyris.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

GRegorius Papa Septimus, anteà Hildebrandus, Suanæ in Etruria natus, doctrina, sanctitate, omniq; virtutum genere cum primis nobilis, mirificè universam DEI illustravit Ecclesiam. Cùm parvulus ad Fabri ligna edolantis pedes, tum literarum inscius, luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa Oraculi: Dominabitur à mari usq; ad mare: casu formasse narratur, manum pueri ductante Numine, quo significaretur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deinde profectus, sub protectione sancti Petri educatus est. Juvenis Ecclesiæ libertatem à laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementiùs dolens, in Cluniacensi Monasterio, ubi sub Regula sancti Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maximè vigebat, Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore Divinæ Majestati deserviebat, ut à Sanctis ejusdem Cænobij Patribus Prior sit electus. Sed Divina providentia majora de eo disponente in salutem plurimorum Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primùm Monasterij sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodùm Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, sub Summis Pontificibus, Leone IX. Victore II. Stephano IX. Nicolao II.

lao II. & Alexandro II. præcipuis muneribus, & legationib9 perfunctus est, sanctissimi & purissimi consilij vir à beato Petro Damiani nuncupatus. A Victore Papa Secundo Legatus à latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum Simoniaca labe infectum ad sui criminis confessionē miraculô adegit. Berengarium in Concilio Turonēsi ad iteratam hæresis abjurationem compulit: Cadaloi quoq; schisma sua virtute compressit.,

℟. Inveni David.

Lectio V.

MOrtuô Alexandrô Secundô, invitus & mærens unanimi omnium consensu decimo Kalendas Maij, annô Christi millesimô septuagesimô tertiô, Summus Pontifex electus, sicut Sol effulsit in Domo DEI; nam potens opere, & sermone, Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ; fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erroribus & corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia DEI labores, molestiasq; pertulerit, aut qui pro ejus libertate acriùs pugnaverit. Aliquot Provincias à Simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia, athleta impavidus permansit, seq; pro muro domui Israel ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsum, Fidelium communione, regnoq; privavit, atq; subditos populos fide ei data liberavit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

DUm Missarum solemnia perageret, visa est viris pijs Columba è cælo delapsa humero ejus dextro insidens, alis extensis caput ejus velare, quo significatum est, Spiritûs sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationib9 ipsum duci in Ecclesiæ regimine. Cùm ab iniqui Henrici exercitu Romæ gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signô Crucis extinxit. De ejus manu tandem à Roberto Gviscardo Duce Northmanno ereptus, Cassinum se contulit, atq; indè Salernum ad dedicandam Ecclesiam Sancti Matthæi Apostoli cōtendit. Cùm aliquando in ea Civitate sermonem habuisset ad Populum, ærumnis confectus, in morbum incidit, quo se interiturum præscivit. Postrema morientis Gregorij verba fuêre: Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio. Innumerabilia sunt, quæ vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter constituit, vir verè Sanctus, criminum vindex, & acerrimus Ecclesiæ defensor. Exactis itaq; in Pontificatu annis duodecim migravit in Cælum annô salutis millesimô

simô octogesimô quintô, pluribûs in vita, & post mortem miraculis clarus, ejusq; sacrum corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorificè conditum.

℟. Iste est.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Hilarij Episcopi in Evang. Vigilate. de Comm. Conf. Pontificis 2dô locô.

DIE XXVI. MAIJ.

In Festo S. Philippi Nerij Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter Orationem, & Lectiones secundi Nocturni.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Philippum Confessorem tuum, Sanctorum tuorum gloriâ sublimasti: concede propitius; ut cujus solemnitate lætamur, ejus virtutum proficiamus exemplô. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

PHilippus Nerius, pijs honestisq; Parentibus Florentiæ natus, ab ipsa ineunte ætate non obscura dedit futuræ sanctitatis indicia, Adolescens, ampla patrui hæreditate dimissa, Romam se contulit; ubi Philosophia ac sacris Literîs eruditus, totum se Christo dicavit. Eâ fuit abstinentiâ; ut sæpè jejunus triduum permanserit. Vigiliis & orationibus intentus, septem Urbis Ecclesias frequenter visitans, apud cœmeterium Callisti in cælestium rerum contemplatione pernoctare consvevit. Sacerdos ex obedientia factus, in animarū salute procuranda totus fuit; & in confessionibus audiendis ad extremum usq; diem perseverans, innumeros penè filios Christo peperit: quos verbi DEI quotidianô pabulô, Sacramentorum frequentiâ, orationis assiduitate, alijsq; pijs exercitationibus enutriri cupiens, Oratorij Congregationem instituit. ℟. Honestum fecit.

Lectio V.

CHaritate DEI vulneratus langvebat jugiter: tantoq; cor ejus æstuabat ardore, ut cùm intrà fines suos contineri non posset, illius sinum, confractis atq; elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. Sacrum verò faciens, aut ferventiùs orans, in àëra quandoq; sublatus, mira undiq; luce fulgere visus fuit. Egenos & pauperes omnî charitatis officiô prosequebatur: dignus qui & Angelo in specie pauperis eleëmosynam erogaret; & dum egentibus noctu panem deferret, in foveam lapsus, inde pariter ab Angelo incolumis eriperetur. Humilitati addictus, ab honoribus semper abhorruit, atq; Ecclesiasticas dignitates, etiam primarias, non

non ſemel ultrò delatas, conſtantiſſimè recuſavit.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

PRophetiæ donô fuit illuſtris, & in animorum ſenſibus penetrandis mirificè enituit. Virginitatem perpetuò illibatam ſervavit: idq; aſſecutus eſt, ut eos, qui puritatem colerent ex odore; qui verò ſecùs, ex fætore dignoſceret. Abſentibus interdum apparuit, iiſq; periclitantibus opem tulit. Ægrotos plurimos, & morti proximos, ſanitati reſtituit. Mortuum quoq; ad vitam revocavit. Cæleſtium ſpirituum, & ipſius Deiparæ Virginis frequenter fuit apparitione dignatus; ac plurimorum animas ſplendore circumfuſas in cælum conſcendere vidit. Deniq; annô ſalutis milleſimô quingenteſimô nonageſimô quintô, octavô Kalendas Junij, in quem diem inciderat feſtum Corporis Christi, Sacrô maxima ſpiritûs exultatione peractô, cæteriſq; functionibus expletis, poſt mediam noctem, qua prædixerat hora, octogenarius obdormivit in Domino. Quem Gregorius Decimusquintus miraculis clarum in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iſte homo perfecit.

In Tertio Nocturno, Homil. in Evang. Sint lumbi veſtri præcincti. *ùt in Communi Confeſſ. non Pontif. Et fit 9. Lect. & comm. S. Eleutherij Papæ Mart.*

M

DIE XXVII. MAIJ.

In Feſto S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virginis Ordinis Carmelitarum. Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum præter Orationem propriam, & Lectiones Secundi Nocturni.

ORATIO.

DEUS virginitatis amator, qui Beatam Mariam Magdalenam virginem tuo amore ſuccenſam, cæleſtibus donis decoràſti: da; ut quam feſtiva celebritate veneramur, puritate & charitate imitemur. Per Dominum noſtrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

MAria Magdalena illuſtriori Pazziorum genere Florentiæ nata, ferè ab ineunabulis iter perfectionis arripuit. Decennis perpetuam virginitatem vovit, ſuſceptoq; habitu in Monaſterio Sanctæ Mariæ Angelorum Ordinis Carmelitarum, ſe omnium virtutum exemplar exhibuit. Adeò caſta fuit, ut quidquid puritatem lædere poteſt, penitùs ignoraverit. Quinquennium, DEO jubente, ſolo pane & aqua tranſegit, exceptis diebus Dominicis, quibus, cibîs Quadrageſimalibûs veſcebatur. Corpus ſuum ciliciô, flagellis, frigore, inediâ, vigilijs, nuditate, atq; omni pænarum genere cruciabat. ℟. Propter veritatem.

Lectio

Lectio V.

TAnto igne divini amoris æstuabat, ut ei ferendo impar, ingestâ aquâ pectus refrigerare cogeretur. Extrà sensus frequenter rapta, diuturnas & admirabiles extases passa est, in quibus & arcana cælestia penetravit, & eximijs à DEO gratijs illustrata fuit. His autem munita, longum certamen à principibus tenebrarum sustinuit, arida, desolata, ab omnibus derelicta, varijsq; tentationibus vexata; DEO sic permittente, ut invictæ patientiæ, ac profundissimæ humilitatis exemplar præberet. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

CHaritate erga proximum singulariter enituit; nam sæpè noctes ducebat insomnes, vel obeundis Sororum ministerijs, vel inserviendo infirmis occupata, quarum aliquando ulcera lambens, sanavit. Infidelium, & peccatorum perditionem amarè deflens, se ad quælibet pro illorum salute tormenta paratam offerebat. Multis ante obitum annis, universis cœli delicijs, quibus copiosè affluebat, heroica virtute renuncians, illud frequenter in ore habebat: Pati, non mori. Tandem longa & gravissima infirmitate exhausta, transivit ad Sponsum die vigesima quinta Maij, annô millesimô sexcentesimô septimô, expletô annô quadragesimô primô ætatis suæ. Eam multîs in vita, & post mortem miraculîs claram, Clemens Nonus sanctarum Virginum numero adscripsit, cujus corpus in præsentem diem incorruptum conservatur. ℟. Afferentur.

In Tertio Nocturno. Evangel. Simile est Regnū Cælorū decē Virgin. 9. *Lect. S. Ioā. Pap. Mart. ex 2b9 fiat una.*

DIE VI. JUNIJ.

In Festo S. Norberti Episcopi & Confessoris. Duplex.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Norbertum Confessorem tuum, atq; Pontificem, verbi tui præconem eximium effecisti, & per eum Ecclesiam tuam nova prole fœcundâsti; præsta quæsumus; ut ejusdem suffragantibus meritis, quod ore simul & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

NOrbertus, nobilissimis Parentibus natus, adolescens liberalibûs disciplinis eruditus, in ipsa posteà Imperatoris aula, sprêtis mundi illecebris, Ecclesiasticæ militiæ adscribi voluit. Sacrîs initiatus, rejectîs mollibûs ac splendidîs vestibûs, pellicea melóte inductus, prædicationi verbi DEI se totum dedit. Abdicatîs Ecclesi-

asti-

asticis proventibûs satis amplis, & patrimoniô in pauperes erogatô, semel in die sub vesperam solo cibo Quadragesimali utens, nudisq; pedibus, & lacera veste sub brumali rigore incedens, miræ austeritatis vitam est aggressus. Potens igitur opere & sermone, innumeros hæreticos ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, dissidentes ad pacem & concordiam revocavit. ℟. Inveni David.

Lectio V.

CUm Lauduni esset, ab Episcopo rogatus, ne à sua diœcesi discederet, desertum in ea locum, qui Præmonstratus dicebatur, sibi delegit; ibiq; tredecim sociis aggregatis, Præmonstratensem Ordinem instituit, divinitus acceptâ per visum regulâ à sancto Augustino. Cùm verò ejus fama sanctitatis in dies magis augeretur, ac plurimi ad eum quotidie discipuli convenirent, idem Ordo ab Honorio Secundo, alijsq; Summis Pontificibus confirmatus, ac pluribûs ab eo Monasterijs ædificatis, mirificè propagatus est.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

ANtverpiam accersitus, in ea urbe Tanchelini nefariam hæresim profligavit. Prophetico spiritu, & miraculis claruit. Archiepiscopus tandem (licèt reluctans) Magdeburgensis creatus, Ecclesiasticam disciplinam, præsertim cælibatum, constanter propugnavit. Rhemis in Concilio Innocentium Secundum egregiè adjuvit, & Romam cum alijs Episcopis profectus, schisma Petri Leonis compressit. Postremò vir DEI, meritis & Spiritu sancto plenus, Magdeburgi obdormivit in Domino, annô salutis millesimô centesimô trigesimô quartô, die sexta Junij. ℟. Iste est.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ, in Evangel. Homo peregrè. *de Communi Confessoris Pontif.*

DIE X. JUNIJ.

In Festo S. Margaritæ Reginæ Scotiæ. Semiduplex.

Omnia de Communi nec Virginum, nec Martyrum, præter ea, quæ hîc habentur.

ORATIO.

DEUS, qui Beatam Margaritam Scotorum Reginam, eximia in pauperes charitate mirabilem effecisti: da ut ejus intercessione, & exemplo tua in cordibus nostris charitas jugiter augeatur. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

MArgarita, Scotorum Regina, paterno Angliæ Regum, materno Cæsarum sangvine clarissima illustrior adhuc fuit Christiana virtute. Hæc in Hungaria nata,

ubi Pater tunc temporis exulabat, post exactam summa cum pietate puerilem ætatem, unà cum genitore, qui à sancto Eduardo patruo Anglorum Rege ad paterni Regni fastigium vocabatur, in Angliam venit: mox alternante parentum fortuna, ex Angliæ littore solvês, vi tempestatis expulsa, seu veriùs divinæ providentiæ consiliô deducta est in oram maritimam Scotiæ. Ibi cùm ex matris imperio Malcholmo tertio Scotorum Regi egregijs ejus dotibûs capto nupsisset, sanctimoniæ ac pietatis operibus triginta, quibûs regnavit annîs, toti Regno mirificè profuit. ℟. Propter veritatem.

Lectio V.

INter regales delicias corpus affictation bus, ac vigilijs macerans, magnam noctis partem pijs precationibus extrahebat. Præter alia jejunia, quæ identidem usurpabat, integros quadraginta dies ante natalitia festa tanta cum severitate jejunare consvevit, ut ne in gravissimis quidem doloribus intermiserit. Divino cultui addictissima, templa plurima & cœnobia partim ex integro excitavit, partim resarcivit, & sacra supellectili, ac largo censu ditavit. Regem conjugem ad meliorem frugem, & ad similia suis exercitationibus opera saluberrimô exemplô traduxit, liberosq; omnes tam sanctè & feliciter educavit, ut eorum pleriq; quemadmodum & Agatha mater, & Christina soror, sanctissimum vitæ genus amplexi sint. Universi demum Regni felicitati consulens à vitijs omnibus, quæ furtim irrepserant, populos expurgavit, eisq; mores Christiana pietate dignos restituit.

℟. Dilexisti.

Lectio VI.

NIhil tamen æquè in illa mirabile fuit, ac flagrantissima charitas erga proximos, præsertim egenos, quorum numerosis gregibus non modò stipem affatim suppeditare; verùm etiam trecentis quotidie materna benignitate dapes præbere, flexis genibûs in morem ancillæ ministrare, regiis manibûs pedes abluere, & pressis etiam osculis ulcera fovere solemne habuit. His porrò alijsq; pijs sumptibus non regias tantùm vestes, & pretiosa monilia distraxit, sed ipsum non semel exhausit ærarium. Toleratîs demum ad patientiæ miraculum acerbissimis doloribûs, animam semestri corporis ægrotatione purgatam, Auctori suo, quartô Idus Junij reddidit. Quo temporis momento facies ejus diuturni morbi macie ac pallore fœdata, insolita quadam venustate refloruit. Mi îs etiam post mortem prodigiis clara, & Clementis Decimi auctoritate in Scotiæ Patronam accepta, ubiq; terrarum religiosissimè colitur.

℟. Fal-

℟. Fallax gratia.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Evangel. Simile est regnum cælorum thesauro. *ùt in Communi non Virg.*

DIE XII. JUNIJ.

In Festo S. Ioannis, à S. Facundo, Confessoris. Duplex min.

Omnia de Communi Conf. non Pontificis, præter ea, quæ seqvuntur.

In ij. Vesp. de S. Barnaba Apost. fit comm. S. Ioann. à S. Facundo.

Antiphona. Similabo &c. ℣. Amavit, &c.

ORATIO.

DEUS auctor pacis, & amator charitatis, qui Beatum Joannem Confessorem tuum mirificâ dissidentes componendi gratiâ decorasti: ejus meritis, & intercessione concede; ut in tua charitate firmati nullis à te tentationibus separemur. Per Dominum.

Deinde fit Comm. SS. Basilid. & Sociorum Martyr.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno,

Lectio IV.

IOannem Sahaguni in Hispania nobili genere natum, parentes cùm diu prole caruissent, pijs operibus, & orationibus à DEO impetrârunt. Ab ineunte ætate egregium futuræ sanctitatis specimen dedit; nam è loco superiori ad cæteros pueros crebrò verba faciebat, quibus eos ad virtutem, & DEI cultum hortabatur, eorumq; dissidia componebat. In patria Monachis sancti Facundi Ordinis sancti Benedicti primìs literarum rudimentis imbuēdus traditur, dum ijs operam daret, curavit pater, ut Parochus, Ecclesiā administraret, ad quod munus juvenis nullis rationibus adduci potuit ut retineret. Inter familiares Episcopi Burgensis adscriptus, ob spectatam ipsius probitatem intimus ei fuit, ab eoq; Presbyter, & Canonicus factus, multis beneficiîs auctus est. Sed relictâ aulâ Episcopi, ut DEO quietiùs serviret omnibus Ecclesiæ proventibus abdicatis, se cuidam Sacello addixit, ubi Sacrum quotidie faciebat, ac de rebus divinis magna cum auditorum ædificatione frequenter concionabatur.

℟. Honestum &c.

Lectio V.

POsteâ studiorum causâ Salmanticam profectus, in celebre Collegium Divi Bartholomæi cooptatus, Sacerdotis munus ita exercuit; ut simul optatis studijs incumberet, & in sacris etiam concionibus assiduè versaretur. Cùm verò in gravissimum morbum incidisset, arctioris disciplinæ voto se obstrinxit, quod ut redderet, cùm priùs cuidam pauperi penè nudo ex duabus, quas tantùm habebat vestes, meliorem dedisset,

ad Cœnobium ſancti Auguſtini ſeveriori diſciplina tùm maximè florens, ſe contulit, in quo admiſſus obedientiâ, animi demiſſione, vigilijs, ac oratione, provectiores anteibat. Triclinij cura cùm ipſi demandata eſſet, vini doliolum ipſo attingente omnibus Monachis per annum abundè ſuffecit. Exactô tyrocinij annô Præfecti juſſu munus concionandi ſuſcepit. Salmanticæ id temporis adeò cruentis factionibus divina humanaq; omnia permixta erant, ut ſingulis propemodùm horis cædes fierent, & omnium ordinum ac præſertim nobilium ſangvine non viæ ſolùm, & fora, ſed templa etiam redundarent. ℟. Amavit &c.

Lectio VI.

AT Joannes tùm concionibus, tùm privatis colloquijs civium animos demulcens, ad tranquillitatem urbem reduxit. Virum Principem graviter offendit, quòd illius in ſubditos ſævitiam increpâſſet. Qua de cauſa equites duos immiſit, qui eum in itinere cōfoderent: jamq; ad ipſum propinquaverant, cum ſtupore divinitus immiſſo, ſimul cum equis immobiles ſteterunt, donec ad pedes ſancti Viri provoluti, ſceleris veniam precarentur. Ipſe quoq; Princeps repentino terrore perculſus jam de ſalute deſperaverat, cum revocato Joanne, facti pœnitens incolumitati redditus eſt. Facti oſi etiam homines, cùm eum fuſtibus peterent, brachijs diriguêre, nec antè redditæ vires, quàm delicti veniam precarentur. CHRISTUM Dominum, dum Sacrum faceret, præſentem contueri, atq; ex ipſo Divinitatis fonte cæleſtia myſteria haurire ſolitus. Abdita cordis inſpicere, ac futura raro eventu præſagire, frequens illi fuit. Fratriſq; filiam ſeptennem mortuam excitavit. Deniq; mortis die prænuntiato, & Eccleſiæ Sacramentis devotiſſimè ſuſceptis, extremum diem clauſit. Multis ante, & poſt obitum miraculis glorioſus. Quibûs ritè probatis Alexander Octavus Sanctorum numero eum adſcripſit. ℟. Iſte homo &c.

In Tertio Nocturno. Homilia S. Gregorij Papæ in Evang. Sint lumbi veſtri præcincti. *ùt in Comm. Confeſ. non Pont. Nona Lectio SS. Mart. Baſilidis, & Socior. cum Comm. in Laud.*

Miſſa. Os juſti. *de Comm. prima Oratio propr. ùt ſuprà.*

DIE XIX. JUNIJ.

In Feſto S. Boniſacij Martyris, Ord. Eremitarum Camaldul. S. Romualdi, Archiepiſcopi Ruſſiæ. Semiduplex. Omnia de Communi unius Mart. Pont. præter Lectiones Secundi Nocturni.

ORATIO.

INfirmitatem noſtram reſpice. &c.

Lectio IV.

BOnifacius illuſtri ac Regia ſtirpe natus, Othonem Imperatorem,

rem, cujus affinis erat, in Italiam secutus, cum beatum Romualdum de mundi contemptu disserentem audîsset, Divino afflante Spiritu, ad Eremiticam vitam transire constituit. Quare Imperatori valedicens, in disciplinam ejusdem sancti Romualdi se tradidit, cumq; cum socijs ad Perensem Eremum propè Ravennam alacriter sequitur; ubi virtutibus inter cæteros fulgens, quantò nobilitate sublimior, tantò coversatione humilior. Non tugurij angustiam, non vestis squalorem, non pedum nuditatem, non laborem manuum erubescebat, abstinentiâ tantâ erat, ut sæpè nonnisi quinta feriâ, & Dominica die cibum sumeret, tantôq; patiendi flagrabat desideriô, ut se inter vepres, & urticas sæpiùs volutaret. ℟. Honestum.

Lectio V.

ITaq; Martyrij consequendi, & Catholicæ fidei propagandæ cupidus, à Romano Pontifice ad prædicandum Evangelium, versùs extremi Septemtrionis oras in Russiam mittitur, Archiepiscopali dignitate insignitus. Quò cùm proficisceretur, arcta jejunia non reliquit, & Divinas horas tam Canonico, quàm Monastico ritu psallens, ejus itineris magnam partem nudis pedibus, & quidem cæteros antegrediens confecit. Nec equô prius uti voluit, quàm ultra montanos fines ingrederetur, per quos cùm nullô crura, & plantas velamentô contectus pergeret, intolerabiles algores sustinebat, ut volens descendere, vix pedem à subhærente ferro disjungeret, nisi priùs aquâ calida subveniretur.

℟. Desiderium.

Lectio VI.

DEniq; ubi ad littora Baltici maris pervenit, coram Rege Ruthenorũ CHRISTUM prædicans, cùm per medias flammas transisset illæsus, vi tanti miraculi ipsum convertit ad fidem, quem tanta multitudo secuta est, ut sanctum Virum ad spatiosum lacum descẽdere oportuerit, quò abundante aquarum copia posset confluentes populos baptizare. Hæc Regis frater, à CHRISTO abhorrens, cùm iniquè ferret, Bonifacium comprehendi, & publicè abscissione capitis interfici jubet; sed statim Divina ultione cæcus effectus, adstantes verò insensibiles instar lapidum redditi sunt. Verùm cùm Rex, plurimiq; ex Christianis accurrissent, precibus ad DEUM fusis, Regis fratri visum, & cæteris sensum restitui impetrarunt. Quare illicò pænitentes Christianam fidem amplexi sunt omnes, & in honorem beati Martyris Ecclesiam construxerunt.

℟. Stola jucunditatis.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ. in Evang. Si quis venit ad me. *ex eodem Comm. unius Mat.*

DIE

DIE VIII. JULIJ.

In Festo S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ. Semiduplex.

Ad Vesperas Antiphona. Dum esset Rex. *cum reliquis de Laud. Psalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis de Cõmuni Virginum.*

Capitulum. Mulierem fortem. *ex Communi non Virginum.*

HYMNUS.

DOmare cordis impetus Elisabeth
Fortis, inopsq; DEO
Servire, regno prætulit.
En fulgidis recepta cæli sedibus,
Sidereæq; domus
Ditata sanctis gaudijs,
Nunc regnat inter Cælites beatior,
Et premit astra, docens
Quæ vera sint regni bona.
Patri potestas, Filioq; gloria,
Perpetuumq; decus
Tibi sit alme Spiritus. Amen.

℣. Ora pro nobis B. Elisabeth,
℟. Ut digni efficiamur &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.

ORATIO.

CLementissime DEUS, qui Beatam Elisabeth Reginam, inter cæteras egregias dotes bellici furoris sedandi prærogativâ decorâsti: da nobis ejus intercessione, post mortalis vitæ, quam suppliciter petimus, pacem, ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Laudemus DEUM nostrum, * In sanctis operib9 beatæ Elisabeth.

Hymnus ùt suprà in Vesperis.

In Primo Nocturno. Antiphona.

Elevata est magnificentia Elisabeth super cælos. *Psalmus.* Domine Dominus noster.

Antiphona. Veni electa mea; & ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam. *Psalm.* Cæli enarrant.

Antiphona. Accepit benedictionem à Domino: & misericordiam à DEO salutari suo. *Psalm.* Domini est terra.

℣. Multæ filiæ congregaverũt divitias. ℟. Tu supergressa es universas.

Lectiones de Parabolis Salomonis.

Mulierem fortem. *ùt in Communi Sanctarum Mulierum.*

℟. *1mum.* Regali exorta progenie triumphat in cælis Elisabeth, triplici circumdata varietate meritorum: * Nam in terra in triplici vitæ gradu posteris imitanda virtutum reliquit exempla.
℣. Virginalem statum, conjugalem & vidualem inoffenso pede cucurrit. Nam in terra.

℟. *2dum.* Os suum aperuit sapientiæ: * Et lex clementiæ in lingva ejus. ℣. Quoniam prævenisti eam in benedictionibus dulcedinis. Et lex.

℟. *3tium.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eam.
℣. Scuto bonæ voluntatis tuæ corona-

ronasti eam Domine. Et voluntate. Gloria Patri. Et voluntate.

In Secundo Nocturno.

Antiphona.

Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam deducet te mirabiliter dextera tua. *Psalm.* Eructavit cor meum.

Antiphona. Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. *Psalm.* DEUS noster refugium.

Antiphona. Justitia & misericordia plena est dextera tua. *Psal.* Magnus Dominus.

℣. Virga tua, & baculus tuus.
℟. Ipsa me consolata sunt.

Lectio IV.

ELisabetham Aragoniæ Regibus ortam, CHRISTI annô millesimô ducentesimô septuagesimô primô, in præsagium futuræ sanctimoniæ parentes, præter morem, relicto matris aviæq; nomine, à magna ejus matertera, Thuringiæ Domina, sancta Elisabeth, in Baptismo nominatam voluêre. Ubi nata est, statim patuit, quàm felix Regum regnorumq; esset futura pacatrix: natalitia enim ejus lætitia perniciosas avi, patrisq; dissensiones in cōcordiam convertit. Pater verò crescentis posteà filiæ admiratus indolem, affirmabat fore, ut una Elisabetha reliquas Aragoniorum Regum sangvine creatas fæminas virtute longè superaret. Hic cælestem ipsius vitam in contemnendo corporis ornatu, in fugiendis voluptatibus, in jejunijs frequentandis, in divinis precibus assiduè recitandis, in charitatis operibus exercendis, veneratus, rerum suarum Regniq; felicitatem, unius filiæ meritis referebat acceptam. Tandem ubiq; nota, & à multis Principibus exoptata, Dionysio Lusitaniæ Regi, Christianis cæremonijs ritè est in matrimonium collocata.

℟. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui: * Et concupiscet Rex decorem tuum. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. Et concupiscet.

Lectio V.

JUncta conjugio, non minorem excolendis virtutibus, quàm liberis educandis, operam dabat, viro placere studens, sed magis DEO. Mediam ferè anni partem solo pane tolerabat & aquâ: quæ in quodam ipsius morbo divinitus versa est in vinum, cùm id à medicis præscriptum bibere recusâsset. Pauperis fæminæ ulcus horrendum exosculata, derepentè sanavit. Pecunias pauperibus distribuendas, ut Regem laterent, hiberno tempore in rosas convertit. Virginem cæcam à nativitate illuminavit: multos alios solo Crucis signo à gravissimis morbis liberavit:

vit: plurima id genus miracula patravit. Monasteria, Collegia & Templa non modò exstruxit, sed etiam magnificè dotavit. In Regum discordijs componendis admirabilis fuit: in privatis publicisq; mortalium sublevandis calamitatibus indefessa.

℟. Manum suam misit ad fortia: * Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. ℣. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Manum.

Lectio VI.

DEfuncto Rege Dionysio, sicut virginibus in prima ætate, in matrimonio conjugibus, ita viduis in solitudine, fuit omnium virtutum exemplar. Illicò enim religiosis sanctæ Claræ vestibus induta, regio funeri constanter interfuit; ac paulò pòst Compostellam proficiscens, multa ex holoserico, argento, auro, gemmisq; donaria pro Regis anima obtulit. Inde reversa domum, quidquid sibi charum aut pretiosum supererat, in sacros ac pios usus convertit: absolvendoq; suo verè regio Conimbricensi virginum Cænobio, & alendis pauperibus, & protegendis viduis, defendendis pupillis, miseris omnibus juvandis intenta, non sibi, sed DEO, & mortalium omnium commodis vivebat. Reges duos filium & generum pacificatura, Stremotium nobile oppidum veniens, morbô ex itinere contractô, ibidem à Virgine DEIPARA visitata, sanctissimè obijt, ânô millesimô trecentesimô trigesimô sextô, die quarta Julij. Post mortem multis miraculis claruit, præsertim suavissimo corporis jam per annos ferè trecentos incorrupti, odore; semper etiam Reginæ Sanctæ cognomentô celebris, tandem annô Jubilei, & nostræ salutis millesimô sexcentesimô vigesimô quintô, totius Christiani orbis concursu & applausu, ab Urbano Octavo ritè inter Sanctos adscripta est.

℟. Regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei JESU Christi: * Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Quem vidi. Gloria Patri. Quem.

In Tertio Nocturno.

Antiphona.

Confessio & pulchritudo in conspectu ejus, sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus. *Psalm.* Cantate Domino canticum novum.

Antiphona. Annuntiaverunt cæli justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus. *Psalm.* Dominus regnavit, exultet terra.

Antiphona. Judicavit in justitia, & populos in æquitate. *Psalm.* Cantate Domino canticum novum.

℣. Ignis

℣. Ignis ante ipſam præcedet. ℟. Et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Lect. de Homil. S. Gregor. Pap. in Evāg. Simile eſt Regnum cælorum theſauro. *ùt in Communi SS. Mulierum.*

℟ *7m.* Os ſuum aperuit ſapiētiæ, & lex clementiæ in lingva ejus: conſideravit ſemitas domus ſuæ: * Et loquebatur de teſtimonijs Domini. ℣. Guſtavit, & vidit quia bona eſt negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus. Et loquebatur.

℟ *8m.* Invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & præpoſui illā regnis & ſedibus: * Et divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. ℣. Melior eſt enim ſapientia cunctis opibus pretioſiſſimis. Et divitias. Gloria Patri. Et divitias.

Ad Laudes & per Horas Antiph.

DUm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis. *Pſalm.* Dominus regnavit. *cum reliqu.*

Antiphona. Et concupiſcet Rex decorem tuum, quia ipſe eſt Dominus DEUS tuus.

Antiphona. Potens in opere & ſermone lenivit iracundiam Domini, & conciliavit cor patris ad filium.

Antiphona. Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis.

Antiphona. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ; & quaſi luna plena in diebus ſuis.

Capitulum. Mulierem fortem.

HYMNUS.

OPes decuſq; regium reliqueras
Eliſabeth, DEI dicata numini,
Recepta nūc bearis inter Angelos:
Libens ab hoſtiū tuere nos dolis.
Præi, viamq; dux ſalutis indica:
Sequemur. O ſit una mens fideliū,
Odor bonus ſit omnis actio, tuis
Id innuit roſis operta charitas!
Beata charitas, in arce ſiderum
Potēs locare nos per omne ſæculū:
Patriq;, Filioq; ſumma gloria,
Tibiq; laus perēnis, alme Spiritus.
Amen.

℣. Meritis & precibus B. Eliſabeth, ℟. Propitius eſto Dn̄e populo tuo.

Ad Benedictus Antiphona.

Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſràël, tu honorificentia populi tui.

Oratio. Clementiſſime. *ùt ſuprà.*

In Secundis Veſperis Antiph. Dum eſſet Rex. *ùt ſupra in Laudibus, Pſalmi, Capitulum, Hymnus & ℣. ut in primis Veſperis.*

Ad Magnificat Antiphona.

Eliſabeth pacis & patriæ mater, in cælo triumphans dona nobis pacem. *Oratio. ùt ſuprà.*

DIE XII. JULIJ.

In Feſto S. Ioannis Gualberti Abbatis. Duplex.

Omnia dicuntur de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter ea, quæ hìc habentur propria.

ORATIO.

INtercessio nos, quæsumus Domine, B. Joannis Gualberti Abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

In Primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

JOannes Gualbertus Florentiæ nobili genere ortus, dum Patri obsequens rem militarem sequitur, Ugo, unicus ejus frater occiditur à consanguineo: quem cùm solum & inermem, sancto Parasceves die, Joannes armis, ac militibus stipatus obvium haberet, ubi neuter alterum poterat declinare, ob sanctæ Crucis reverentiam, quam homicida supplex, mortem jam jam subiturus, brachijs signabat, vitam ei clementer indulget. Hoste in fratrem recepto, proximum sancti Miniatis templum oraturus ingreditur, ubi adoratam Crucifixi imaginem, caput sibi flectere conspicit. Quo mirabili facto permotus Joannes, DEO exinde, etiam invito Patre, militare decernit, atq; ibidem proprijs sibi manibus comam totondit, ac Monasticum habitum induit: adeoq; pijs, ac religiosis virtutibus brevî coruscat, ut multis se perfectionis specimen ac normam præberet; ita; ut ejusdem loci Abbate defuncto, communi omnium voto in Superiorem eligeretur. At, DEI famulus cupiens subesse potiùs, quàm præesse, ad majora divina voluntate servatus, ad Camaldulensis Eremi incolam, Romualdũ proficiscitur: à quo cælicum sui instituti vaticinium accipit: cùm suum Ordinem sub Regula S. Benedicti apud Umbrosam vallem instituit. ℟. Honestum.

Lectio V.

DEinde plurimis ad eum, ob ejus sanctitatis famam undiq; convolantibus, unà cum ijs in socios adscitis, ad hæreticam, & simoniacam pravitatem extirpandam, & Apostolicam fidem propagandã sedulò incumbit, innumera propterea in se, & suis incommoda expertus. Nam, ut eum ejusq; socios adversarij perdant; noctu sancti Salvij Cænobium repentè aggrediuntur, templum incendunt, ædes demoliuntur, & Monachos omnes lethali vulnere sauciant; quos Vir DEI unicô Crucis signô incolumes protinus reddit, & Petro ejus Monacho per immensum ardentissimumq; ignem illæso mirabiliter transeunte; optatam sibi, & suis tranquillitatem obtinet: inde simoniacam labem ab Etruria expulit, ac in tota Italia fidem pristinæ integritati restituit. ℟. Amavit eum.

Lectio VI.

MUlta funditus erexit Monasteria, eademq; & alia ædificijs, ac

ac regulari obſervantia inſtaurata, ſanctis legibus communivit: ad egenos alendos ſacram ſupellectilem vendidit: ad improbos coërcendos elementa ſibi famulari cōſpexit: ad dæmones comprimēdos, Crucem, quaſi enſem adhibuit. Demum abſtinentijs, vigilijs, jejunijs, orationibus, carnis macerationibus, ac ſeniô confectus, dum infirma valetudine gravaretur, Davidica illa verba perſæpè repetebat: Sitivit anima mea ad DEUM fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem DEI? Jamq; morti proximus, convocatos diſcipulos ad fraternam concordiam cohortatur, & in Breviculo, cui conſepeliri voluit, juſſit hæc ſcribi: Ego Joannes credo, & confiteor fidem, quam ſancti Apoſtoli prædicaverunt, & ſancti Patres in quatuor Concilijs confirmaverunt. Tandem triduanô Angelorum obſequiô dignatus, ſeptuageſimum octavum annum agens, apud Paſſinianum, ubi ſumma veneratione colitur, migravit ad Dominum, annô ſalutis milleſimô ſeptuageſimô tertiô, quartô Idus Julij. Quem Cæleſtinus Tertius, innumeris miraculis clarum, in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iſte homo.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio VII. Cap. 5.

IN illo tempore: Dixit JESUS Diſcipulis ſuis: Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Preſb.

Lib. 1. Comm. in Cap. 5. Matthæi.

EGo autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros: benefacite ijs qui oderunt vos. Multi præcepta DEI, imbecillitate ſua non ſanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia, quæ præcepta ſunt, & dicunt, ſufficere virtutibus, non odiſſe inimicos: cæterùm diligere, plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo, Christum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta. Quæ fecit David in Saul, & in Abſalom, Stephanus quoq; Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt, & Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis: hæc autem JESUS, & docuit & fecit, dicens: Pater ignoſce illis: quod enim faciunt, neſciūt.

℟. Iſte eſt.

Lectio VIII.

IN reliquis operibus bonis interdum poteſt aliquis qualemcunq; excuſationem prætendere: ad habendam verò dilectionem nullus ſe poterit excuſare, poteſt mihi aliquis dicere, non poſſum jejunare, numquid poteſt dicere, non poſſum amare? Poteſt aliquis dicere, virginitatem non poſſum ſer-

servare; non possum res totas vendere, & pauperibus erogare: numquid potest dicere, non possum diligere inimicos?

℟. Sint lumbi.

Lectio IX.

NOn enim ibi, aut pedes laborant, currendo, aut aures audiendo, aut manus operando laxantur, ut nos per ipsam excusationem liberare conemur. Non nobis dicitur: Ite ad Orientem, & quærite charitatem, navigate ad Occidentem, & invenietis dilectionem. Intus in nostro corde est, ubi redire jubemur, dicente Propheta: Redite prævaricatores ad cor. Non enim in longinquis regionibus invenitur, quod a nobis petitur. Te DEUM laudamus.

DIE XVI. JULIJ.

In Festo Commemorationis solemnis B. V. MARIÆ de Monte Carmelo.

Duplex majus.

Ad Vespepas.

Antiphona. Dum esset Rex. *cum reliqu. de Laudibus.*

Psalm. Dixit Dominus. *cum reliquis ut in Officio parvo B. MARIÆ Virginis.*

Capitulum Eccl. 24.

AB initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi. DEO gratias.

Hymn. Ave maris stella.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat Antiphona.

Sancta MARIA succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumq; celebrant tuam solemnem Commemorationem.

ORATIO.

DEUS, qui Beatissimæ semper Virginis, & Genitricis tuæ MARIÆ singulari titulo Carmeli Ordinem decorâsti: concede propitius; ut cujus hodie Commemorationem solemni celebramus officio, ejus muniti præsidijs, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis &c.

In fine Hymnorum, Completorij, & Horarum dicatur: JESU tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Sancta MARIA DEI Genitrix Virgo * Intercede pro nobis.

Psalmus. Venite, exultemus.

Hymnus. Quem terra, pontus.

Antiphonæ & Psalmi trium Nocturnorum, ùt in Officio parvo Beatæ MARIÆ.

In Primo Nocturno.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende; prosperè procede, & regna.

Lecti-

Lectiones de Parabolis Salomonis. Ego Sapientia habito. *ut in Festo S. Mariæ ad Nives, 5. Augusti cum Responsorijs ibidem positis.*

In Secundo Nocturno.

℣. Adjuvabit eam DEUS vultu suo.

℟. DEUS in medio ejus non cõmovebitur.

Lectio IV.

Cum sacra Pentecostes die Apostoli cælitùs afflati, varijs lingvis loquerentur, & invocato augustissimo JESU nomine, mira multa patrarent: viri plurimi (ùt fertur) qui vestigijs sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Eliséi institerant, & Joannis Baptistæ præconio ad Christi adventum comparati fuerant, rerum veritate perspecta, atq; probata, Evangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu, Beatissimam Virginem (cujus colloquijs, ac familiaritate feliciter frui potuêre) adeò venerari cæperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem nebulam, Virginis typô insignem, conspexerat, eidem purissimæ Virgini Sacellum construxerint.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris. ℣. Et sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio V.

Ad novum ergo Sacellum sæpè quotidiè convenientes, ritibus pijs, precationibus, ac laudibus, Beatissimam Virginem, velut singularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem Fratres Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo passim ab omnibus appellari cæperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modò confirmarũt, sed & Indulgentias peculiares ijs, qui eo titulo, vel Ordinem, vel Fratres singulos nuncuparent, cõcessêre. Nec verò nomenclaturam tantùm magnificentissima Virgo tribuit, & tutelam; verùm & insigne sacri Scapularis, quod beato Simoni Anglico præbuit, ut cælesti hac veste Ordo ille sacer dignosceretur, & à malis ingruentibus protegeretur. Ac demum cùm olim in Europa Ordo esset ignotus: & ob id apud Honoriũ Tertium non pauci pro illius extinctione instarent, astitit Honorio noctu pijssima Virgo MARIA, planèq; jussit, ut Institutum & homines benignè complecteretur.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, & formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circũdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Viderunt.

Lectio VI.

NOn in hoc tantùm sæculo Ordinem sibi tam acceptum multis prærogativis Beatissima Virgo insignivit; verùm, & in alio (cùm ubiq; & potentiâ, & misericordiâ plurimùm valeat) filios in Scapularis societatem relatos, qui abstinentiam modicam, precesq; paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne purgatorij expiantur, solari, ac in cælestem patriam obtentu suo quantocyùs piè creditur efferre. Tot ergo tantisq; beneficijs Ordo cumulatus, solemnem Beatissimæ Virginis Cōmemorationem ritu perpetuo ad ejusdem Virginis gloriam quotannis celebrandam instituit.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiæ Sion, Beatissimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum. ℣. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Ungventum.

In Tertio Nocturno.

℣. Elegit eam DEUS, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectiones de Homilia Venerabilis Bedæ Presbyt. in Evang. Loquente JESU ad turbas. *cum* ℟℟. *ut in Festo S.* MARIÆ *ad Nives die 5. Augusti.*

Ad Laudes & per Horas Antiph.

DUm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis. *Psalm.* Dominus regnavit. *cum reliqu. de Dominica, ut in Psalterio.*

Antiphona. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Antiphona. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum suum.

Antiphona. Jam hyems transijt, imber abijt, & recessit: surge amica mea, & veni.

Antiphona. Speciosa facta es, & svavis in delicijs tuis, sancta DEI Genitrix.

Capitulum. Ab initio. *ut suprà.*

Hymnus. O gloriosa Virginum.

℣. Diffusa est gratia in labijs tuis.

℟. Proptereà benedixit te DEUS in æternum.

Ad Benedictus.

Antiphona. Caput tuum ut Carmelus, & comæ capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus, alleluja.

ORATIO. *ut suprà.*

DEUS, qui Beatissimæ semper Virginis, &c.

Ad Primam.

Antiphona. Dum esset Rex.

Capitulum. Regi sæculorum.

In ℟ *brevi.* ℣. Qui natus es de MA

MARIA Virgine. *alia, ut in Psalt.*

Ad Absolut. Capituli. In plateis.

Ad Tertiam.

Antiphona. Leva ejus.

Capitulum. Ab initio.

℟. *breve.* Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie tua. ℣. Intende, prospere procede, & regna. Et pulchritudine tua. Gloria. Specie tua.

℣. Adjuvabit eam DEUS vultu suo.

℟. DEUS in medio ejus, non commovebitur.

Ad Sextam.

Antiph. Nigra sum sed formosa.

Capitulum Eccle. 24. b

ET sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea: Et radicavi in populo honorificato, & in parte DEI mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. *breve.* Adjuvabit eam, * DEUS vultu suo. Adjuvabit. ℣. DEUS in medio ejus non commovebitur. DEUS vultu suo. Gloria. Adjuvabit.

℣. Elegit eam DEUS & præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam.

Antiphona. Speciosa facta es.

Capitulum Eccle. 24. b

IN plateis, sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. *breve.* Elegit eam DEUS, * Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit eam. Gloria. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te DEUS in æternum.

In Secundis Vesperis, Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, Hymnus, & ℣. ut in Primis Vesperis.

Ad Magnificat. Antiphona.

Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron. Alleluja.

Et fit commem. S. Alexij Confess.

DIE XVII. JULIJ.

In Festo S. Alexij Confessoris, Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter sequentia.

ORATIO.

DEUS, qui nos B. Alexij Confessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius; ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

ALexius Romanorum nobilissimus, propter eximium JESU CHRISTI amorem, prima nocte nuptiarum peculiari DEI monitu relinquens intactam sponsam, illustrium orbis terræ Eccle-

siarum peregrinationem suscepit. Quibus in itineribus cùm ignotus septemdecim annos fuisset, aliquãdo apud Edessam, Syriæ urbem, per imaginem Sanctissimæ MARIÆ Virginis ejus nomine divulgato, inde navi discessit. Ad portum Romanum appulsus, à patre suo tamquam alienus pauper hospitio accipitur; apud quem, omnibus incognitus, cùm decem & septem annos vixisset, relictô scriptô sui nominis, sanguinis ac totius vitæ cursus, migravit in cælum Innocentio Primo Summo Pontifice. ℟. Honestum fecit.

Lectio V. & VI. Deridetur justi simplicitas. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.*

In Tertio Nocturno, Homilia in Evangel. Ecce nos reliquimus omnia. *ut in Communi Abbatum.*

In Secundis Vesperis Oratio. Adesto Domine. *ex Communi Confess. non Pontif.*

Missa. Os justi. *de Comm. Conf. non Pontif. in qua Lectio B. Pauli Apost.* Est quæstus magnus. *ex novo Missali. Evangelium.* Ecce nos reliquimus omnia. *ex Comm. SS. Abbatũ.*

DIE XVIII. JULIJ.

In Festo B. Simonis de Lipnica Confes. Ord. Minorum. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis 1. loco. Lect. 1. Noct. de Script. occurr. 9. Lect. de SS. Symphorosa & 7. Filijs Mart: ex duabus fiat una.

DIE XX. JULIJ.

In Festo S. Henrici Imperatoris Cõfessoris. Semiduplex. Locus hic proprius ex XV. præsentis.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea quæ sequuntur.

In Hymno, Iste Confessor. *dicatur.* Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

ORATIO.

DEUS, qui hodierna die beatum Henricum, Confessorem tuum, è terreni culmine imperij ad Regnum æternum transtulisti; te supplices exoramus; ut sicut illum, gratiæ tuæ ubertate præventum, illecebras sæculi superare fecisti: ita nos facias, ejus imitatione, mundi hujus blandimenta vitare, & ad te puris mentibus pervenire. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

HEnricus, cognomento Pius, è Duce Bavariæ Rex Germaniæ, ac postmodùm Romanorum Imperator, temporalis regni non contentus angustijs, pro adipiscenda immortalitatis corona, sedulam æterno Regi exhibuit servitutem. Adepto enim Imperio, religioni amplificandæ studiosè incumbens, Ecclesias ab infidelibus destructas, magnificentiùs reparavit, plurimisq; largitionibus, & prædijs locupletavit. Monasteria, aliaq; loca pia, vel ipse ædificavit, vel assigna-

signatis redditibus auxit. Episcopatum Bambergensem, hæreditarijs opibus fundatum beato Petro, Romanoq; Pontifici vectigalem fecit. Benedictum Octavum, à quo Imperij coronam acceperat profugum, excepit, suæq; Sedi restituit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

IN Cassinensi Monasterio gravi detentus infirmitate, à sancto Benedicto, insignî miraculô, sanatus est. Romanam Ecclesiam amplissimo diplomate muneratus eidem tuendæ bellum adversus Græcos suscepit: & Apuliam, diu ab illis possessam recuperavit. Nihil sine precibus aggredi solitus. Angelum Domini, sanctosq; Martyres tutelares, pro se pugnantes ante aciem, interdum vidit. Divina autem protectus ope, barbaras nationes precibus magis, quàm armis expugnavit. Pannoniam adhuc infidelem, tradita Stephano Regi sorore sua in uxorem; eoq; baptizato, ad Christi fidem perduxit. Virginitatem, rarô exemplô, matrimonio junxit, sanctamq; Cunegundam Conjugem suam, propinquis ejus, morti proximus, illibatam restituit.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

DEniq; rebus omnibus, quæ ad Imperij honorem, & utilitatem pertinebant summâ prudentiâ dispositis, & illustribus per Galliam, Italiam, & Germaniam, religiosæ munificentiæ, vestigijs passim relictis, postquam heroicæ virtutis suavissimum odorem longè lateq; diffuderat, sanctitate quàm sceptrô clarior, ad regni cælestis præmia, consummatis vitæ laboribus à Domino vocatus est, annô salutis millesimô vigesimô quartô. Cujus corpus in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli Bambergæ conditum fuit; statimq; ad ejus tumulum multa miracula, DEO ipsum glorificante, patrata sunt; quibus posteà ritè probatis, Eugenius Tertius Sanctorum numero illum adscripsit.

Iste homo.

In Tertio Nocturno. Homilia S. Gregorij Papæ in Evangelium. Sint lumbi vestri præcincti. ***de Communi Confessoris non Pontificis.***

DOMINICA post 24. JULIJ. immediatè proxima.

Festum Beatæ Cunegundis Virginis, Patronæ Regni Poloniæ. Duplex primæ Classis cum Octava.

Omnia de Communi Virginis non Martyris, præter ea quæ sequuntur propria.

ORATIO.

DEUS, qui Beatam Cunegundem dulcedinis tuæ benedictionibus prævenisti, ac Virginem etiam in conjugio conservasti, præsta quæsumus, ut ipsa intercedente, per vitæ puritatem Tibi jugi-

jugiter adhærere, & per ejus vestigia gradientes ad Te pervenire feliciter mereamur. Per Dominum nostrum &c.

Deinde fit Commem. Dominicæ occurrentis.

In Primo Nocturno, Lectiones. De Virginibus præceptum. *ex Comm. Virg.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

CUnegundis Hungariæ Rege Belâ, & Mariâ Alexij Græcorum Imperatoris Filiâ, parentibûs genita, Sanctorum Uladislai, Heduigis, Salomeæ, Elisabeth, & Ludovici, non minùs illustrium virtutum, quàm regij sanguinis cognatione præfulsit. Cùm adhuc in utero gestaretur, clara voce cælitus emissa, Mater didicit se prolem eximiæ sanctitatis parituram. Vix autem in lucem edita, linguam in verba mirabiliter solvit, quibûs Beatissimam Virginem Cælorum Reginam salutavit. Tùm veluti infantiæ impedimenta nesciret, admiranda præbuit futuræ sanctitatis argumenta; nam quartis, & sextis quibûsq; feriîs semel tantùm lac sugebat; cùmq; inter nutricis ulnas Missæ Sacrificio interesset, sanctissima JESU & MARIÆ nomina, cùm proferentur, demisso capite venerabatur; oculisq; in cælum intentis, tota in sacrorum Mysteriorum contemplationem defixa, videbatur.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

PUeritiam, jugi divinarum rerum meditationi, ac jejunijs addicta, fundendis precibus, eleëmosynis erogandis, alijsq; pijs operibus transegit. Custodiendæ autem virginitatis studium tunc maximè probavit, cùm proposito cōjugio diu obluctata, sed parentib9 tandem morem gerere coacta, & Boleslao Poloniæ Duci in matrimoniū tradita, prima nuptiarum nocte suasionibus, precibusq; impetravit, ut sibi virginitatem colere liceret; deindè verò tanto illum puritatis amore inflammavit, ut pari consensu cum intacta Conjuge castitatem emissô votô servandam perpetuò statuerit, quo Pudici cognomentum adeptus est. Polonico autem Regno tam virtutum exemplis mirificè consuluit, quàm impetratis à DEO beneficijs; inter quæ illud præcipuè celebratur, quòd Salisfodinam, undè opulentissimi redditus Regno proveniūt, mirabiliter obtinuerit.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

MOrtuô Boleslaô Poloniæ regimen constantissimè recusavit, curisq; omnibus exuta, & facultatibus in pauperes distributis, Ordinem sanctæ Claræ in Monaste-

rio Sandecensi, quod ipsa condiderat, professa est. Ibi cùm aquarum inopiâ sorores laborarent, flumini haud procul decurrenti imperavit, ut alveo diverteret; & cursum, quem bacillô aquis designaverat, per acclivia licèt loca teneret; DEOq; famulæ suæ precibus annuente, Monasterij necessitatibus insignî miraculô provisum est. Cùm autem in eodem Monasterio annos tredecim sanctissimè vixisset, maximis virtutibus, signisquè, ac prophetiæ donô illustris, præcognita mortis horà placidissimè quievit in Domino die vigesima quarta Julij, annô salutis ducentesimô nonagesimô secundô, supra millesimum; cujus anima niveo amictu ornata inter Angelorum Choros cælum conscendere visa est; ejusq; immortalem gloriam innumera deinde miracula comprobarunt; nam captivi libertatem, cæci visum, ægri plurimi sanitatem à morbis gravissimis, ipsa intercedente, recuperârunt, ac mortui pleriq; in vitam sunt revocati. Itaquè antiquissimum cultum, quo per universam Poloniam celebrabatur, Alexander Papa Octavus approbavit; & Clemens Papa Undecimus eamdem in primariam ejusdem Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ Patronam ritè electam confirmavit.

℟. Afferentur.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ, in Evangel. Simile erit regnum cælorum decem Virg. *ex Comm. Virg. Et 9. Lectio Dominicæ occurrentis legitur.*

SECUNDA DIE

Infra Octav. B. Cunegund. Virg. P.R.P.

In Primo Noctur. Lectiones de Script. occurr. ℟℟℟. *de Comm. Virg. similiter & in alijs diebus Octavæ.*

In Secundo Nocturno.

Lectiones 3. de Serm. S. Ambrosij Episc. Quoniam hodie Natalis &c. *ùt in Breviario de Comm. Virg. 1. locô posita leguntur. tum & alia sequentes, quæ singulis diebus hujus Octavæ serviunt, juxta Octavarium Festorum à S. Rit: Congr. approbatum, ordinatæ, dic.*

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII. Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc: Simile erit Regnum cælorum decem Virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam Sponso, & Sponsæ. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorij Papæ.

Homilia 12. in Evangelia.

NOtandum verò quòd omnes lampades habent; sed omnes oleum non habent, quia plerumq; bona

bona in se opera cum electis & probis ostendunt, sed soli ad Sponsum cum oleo veniunt, qui de his, quæ foris egerint, intus gloriam requirunt: unde per Psalmistam quoq; de sancta Electorum Ecclesia dicitur. Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Dormitaverunt omnes, & dormierunt. Dormire mori est. Ante somnum verò dormitare, est ante mortem à salute languescere: quia per põdus ægritudinis pervenitur ad somnum mortis. ℟. Hæc est.

Lectio VIII.

QUid est autem, quòd fatuæ à prudentibus oleum petunt, nisi, quòd in adventu Judicis cùm se intus vacuas invenerint, testimonium foris quærunt? acsi à fiducia deceptæ proximi dicant: quia nos quasi sine opere repelli conspicitis, dicite de nostris operibus, quid vidistis. Unde & prudentes per increpationem subdunt; ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Venditores quippe olei, adulatores sunt. De quo profectò oleo Psalmista dicit: Oleum autem peccatoris non impingvet caput meum. ℟. Media.

Lectio IX.

O Si sapere in cordis palato possit, quid admirationis habet, quod dicitur; venit Sponsus? quid dulcedinis: Intraverunt cum eo ad nuptias? Quid amaritudinis? Et clausa est janua? Pensate, fratres charissimi, ante conspectũ tanti Judicis, qui in illo die terror erit, quando jam in pæna remedium non erit. Quanta verò tunc erit electorum lætitia, qui de ejus merentur visione gaudere, de cujus conspectu vident & elementa omnia contremiscere, cum eo simul ad nuptias intrare? Qui & in Sponsi nuptijs gaudent, & tamen ipsi sunt Sponsa, quia in illo æterni Regis thalamo visioni nostræ DEUS conjungitur.

Te DEUM laudamus.

TERTIA DIE

In Secundo Nocturno.

De Sermone S Ambrosij Episcopi.

Lib: 1. de Virg: ante Med.

Lectio IV.

EGo licèt laudationem non susceperim virginitatis; sed expressionem ad rem tamen pertinere arbitror, ut quæ sit ei patria, quis auctor appareat. Ac priùs, ubi sit Patria, definiamus. Si enim ibi est Patria, ubi genitale domicilium: in Cælo perfectò est Patria castitatis: itaq; hic advena, ibi incola est. Quid autem est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? atq; ejus auctorem quem possumus existimare, nisi immaculatum DEI Filium, cujus Caro non vidit corruptionem, Divinitatis non est experta contagionem.

℟. Propter.

Lectio V.

VIdete igitur quanta virginitatis merita sint. CHRISTUS ante Virginem, CHRISTUS ex Virgine; à Patre quidem natus ante sæcula, sed ex Virgine natus ob sæcula. Illud naturæ suæ, hoc nostræ utilitatis est: illud erat semper, hoc esse voluit: spectate aliud virginitatis meritum, CHRISTUS Virgo Virginis Sponsus, & si dici potest. CHRISTUS virgineæ castitatis. Virginitas enim CHRISTI, non virginitatis est CHRISTUS. Virgo est ergo, quæ nupsit, Virgo, quæ nos suô uterô portavit, Virgo quæ genuit, Virgo quæ proprio lacte nutrivit: sed jam à Matre descendamus ad filias.

℟. Dilexisti.

Lectio VI.

DE virginibus, inquit Apostolus, præceptum Domini non habeo, si Doctor Gentium non habuit, habere, quis potuit? & præceptum quidem non habuit, sed habuit exemplum. Non enim imperari potest virginitas, sed optari. Nam, quæ supra nos sunt, in voto magis, quàm in magisterio sunt, sed volo vos, inquit, sine solicitudine esse: nam, qui, sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO. Et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Non ego quidem dissuadeo matrimonium, sed virginitatis attexo beneficium.

℟. Afferentur.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc: Simile erit Regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam Sponso, & Sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presb.

Lib: 4. in Matt. c. 25.

HAnc parabolam quidam simpliciter in virginibus interpretantur, quarum aliæ, juxta Apostolorum & corpore & mente sunt virgines: aliæ virginitatem tantùm corporum reservantes, vel cætera opera non habent proposito suo similia; vel Parentum custodia reservatæ, nihilominùs mente nupserunt, sed mihi videtur ex superioribus alius sensus esse, qui dicitur, & non ad virginalia corpora, sed ad omne hominum genus cōparatio pertinere. ℟. Hæc est.

Lectio VIII.

QUi idcircò omnes virgines appellantur: quia gloriantur in unius DEI notitia, & mens eorum idololatriæ turbine non constupratur. Oleum habent Virgines, quæ juxta fidem, & operibus adornantur: non habent oleum, quæ videntur simili quidem fide Domi-

Dominum confiteri, sed virtutum opera negligunt. Possumus quinque virgines sapientes, & stultas, quinque sensus interpretari, quorum alij festinant ad cælestia & superna desiderant: alij terrenis fæcibus inhiantes fomenta non habent veritatis, quibus sua corda illuminent. ℞. Media.

Lectio IX.

DIcamus aliquod, quod forsitan lectori utile sit. Traditio Judæorum est, CHRISTUM media nocte venturum in similitudinem Ægyptij temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator venit: unde reor, & traditionem Apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum Paschæ, ante noctis dimidium populum dimittere non liceat, expectantes adventum CHRISTI, & postquam illud tempus transierit securitate præsumpta, festum cunctos agere diem. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ: quæ lampades suas queruntur extingvi, ostendunt eas ex parte lucere: & tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Te DEUM laudamus.

QUARTA DIE

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Maximi Episcopi.

In Nat. S. Agnetis.

Lectio IV.

CUm in toto mundo virgineus flos MARIÆ immarcescibiles coronas innectat, & sceptrigeram pudoris aulam immaculato conservet affectu, eousq; integritas perseveraverit ad palmam, ut in puellis trophæum sanctitatis arriperet, & per vestigia Matris Virginis ad cælestem thalamum perveniret. O quàm imitabile virginibus: Virgo Cunegundis! tu amoris tradidisti exemplum. O quàm sanctum pectoribus dandum virginei tribuisti responsum, contemnendo mundi divitias, execrãdo carnis concupiscentias, & solam CHRISTI pulchritudinem adamando. Accedite ad puellam puellæ, & discite, quales in pectore suo circa amorem CHRISTI flammas accendit. Discite virgines CHRISTI amorem in ea ferventem, & omnes mundi divitias velut stercora recusantem.

℞. Propter.

Lectio V.

IDeò enim Sanctorum per literas traduntur exempla, ut unus quisq; pro qualitate sexus modum sui propositi teneat, & sicut per Virginem virgines, ita, per Conjugem conjuges vincere sæculum, pro CHRISTI amore studeant, ac repugnatione animi, mundi dulcia recusantes, & ejus non recusantes austera, ad delectationes perpetuas, & ad gaudia æterna pertingat. Hæc dicentes, non vituperamus conjugum casta commertia; sed virginum perseverantiam adornamus.

mus. Non enim virginitas malis rebus superponenda est, sed est rebus optimis præferenda; quæ enim mundis mundior, & Sanctis est sanctior, non indiget malarum rerum vituperatione laudari. ℟. Dilexisti.

Lectio VI.

VEni jam Virgo ad thalamum, quem quæsisti, ut Sponsam te virginitas immaculata comprobet Christi. Felix caterva virginum, quibus studium est tuæ sequi confessionis vestigia. Habebant enim tecum coronam in cælo, quæ tecum superaverunt inimicum in mundo. Nam sicut tibi vestigia prosequenti participatio æternæ remunerationis apparuit; ita eis te imitantibus æterna credimus gaudia non neganda. Itaq; ô splendida Christo DEI Filio, & omnibus Angelis, atq; Archangelis grata, ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus; ut nobis ille tribuat indulgentiam, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam. ℟. Afferentur.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc: Simile erit Regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam Sponso & Sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil: 79. in Matt: post init.

QUam ob causam in persona virginum hanc parabolam profert, nec qualemcumq; personam sine discrimine subjcit? magna quædam de virginitate disseruerat, dicens: sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum cælorum: &, Qui potest capere, capiat. Nec ignorabat, de virginitate magnam esse vulgò existimationem; quippè cùm sit ea res naturâ sublimis; quod inde patet, quia neq; in veteri testamento à priscis illis sanctisq; Viris culta fuit, in novo nulla legis necessitate jubetur: non enim id imperavit, sed fidelium voluntati permisit. Unde & Paulus ait: de virginibus autem præceptum Domini non habeo, & laudo quidem eum, qui hoc sectat institutum, nolentem autem non cogo, neq; eam rem præceptum facio. ℟. Hæc est.

Lectio VIII.

QUoniam igitur, & magna res erat, ac de ea apud multos magna erat existimatio; ne quis, ea perfecta, se totum perfecisse putaret, ac cætera negligeret, hanc parabolam posuit, ut ostenderet virginitatem, quamvis cætera habeat, si misericordiæ bonis caruerit, cum fornicatoribus ejici. Ac meritò quidem inhumanum, ac misericordiâ carentem cum illis collocat.

locat. Fornicator enim corporũ, istæ verò pecuniarum cupiditate vincuntur. Non est autem corporum & pecuniæ par cupiditas: seu acrior multò, atq; vehementior illa corporum est. Quantò igitur cum imbecilliore luctantur, tantò minùs venia dignæ sunt, si vincantur. Idcircò etiam fatuas appellavit: quoniam majori certamine superato in feliciore totum perdiderunt. ℟. Media.

Lectio IX.

LAmpades autem hoc loco illud ipsam virginitatis donum appellat, & sanctimoniæ puritatẽ: oleum verò benignitatem, eleëmosynam, impensum indigentibus auxilium. Tardante autem Sponso dormitaverunt omnes, & dormierunt. Non parvum temporis rursus spatium interjectum ostendit, ut Discipulos Regnum ipsius mox futurum expectantes, ab ea opinione deduceret: id enim illi sperabant: quapropter crebrò ab hujusmodi eos spe revocat. Ad hoc, illud quoq; indicat, somnum quemdam esse mortem. Dormierunt, inquit, media autem nocte clamor factus est, vel ut in eadem parabola persistat, vel rursus ostendit, in nocte futuram esse resurrectionem. Clamorem etiam Paulus commemorat, dicens: In jussu, in voce Archangeli, in novissima tuba descender de cælo.

Te DEUM laudamus.

QUINTA DIE.

In Secundo Nocturno.

Tres Lectiones S. Cypriani: Nunc nobis ad Virgines, &c. *ut in Brev. edẽ locõ de Comm: Virg.*

In Tertio Nocturno.

Homil: S. Ioan. Chrysostomi, in Evang. Simile erit Regnum cælorum decem Virginibus. *ex Festo S. Barbaræ Virg. folio 4.*

SEXTA DIE

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episcopi,

De S. Virginit: Capt 2.

Lectio IV.

CUm universa Ecclesia virgo sit desponsata uni Viro CHRISTO, sicut dicit Apostolus, quanto digna sunt honore membra ejus, quæ hoc custodiunt, etiam in ipsa carne: quod tota custodit in fide, quæ imitatur Matrem Viri, & Domini sui? nam Ecclesia quoq; & Virgo & Mater est: cujus enim integritati consulimus, si Virgo non est? aut cujus prolem alloquimur, si Mater non est? MARIA corporaliter caput hujus corporis peperit, Ecclesia spiritualiter membra illius capitis parit, in utraq; virginitas fæcunditatem non impedit; in utraq; fæcunditas virginitatem non adimit. ℟. Propter.

Lectio V. Cap: 13.

VIrginalis autem integritas, & per piam cõtinentiam ab omni con-

concubitu immunitas, Angelica portio, est in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fæcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis; illa non est in potestate, illa non est in æternitate. Fæcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam conjugalem non habet cælum. Profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid, jam non carnis in carne.

℟. Dilexisti.

Lectio VI. Cap. 27.

SEquimini Agnum quocunque ierit, scripsit ille de vobis. Quò ire putamus hunc Agnum? quò nemo eum sequi, vel audeat, vel valeat, nisi vos virgines? Quò putamus eum ire? in quo saltus, & prata? ubi, credo sunt grandia gaudia; nec gaudia, qualia in ipso Regno DEI, cæteris non virginibus erunt; sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium virginum CHRISTI est, de CHRISTO, in CHRISTO, cum CHRISTO, post CHRISTUM, per CHRISTUM, propter CHRISTUM. Gaudia propria virginum CHRISTI non sunt eadem non virginum, quamvis CHRISTI: nam sunt alijs alia, sed nullis talia. Ite in hæc, sequimini Agnum, quia & Agni caro utiq; Virgo. Sequimini virginitate cordis, & carnis quocunq; ierit, quid est eum sequi, nisi imitari? ℟. Afferentur.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc: Simile erit Regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam Sponso, & Sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ser: 23. de verb. Dom. post init.

INtelligamus, charissimi, ad omnes nos, id est, ad universam omninò Ecclesiam istam pertinere parabolam, non ad solos præpositos, nec ad solas plebes, sed prorsùs ad omnes. Quinque istæ, & quinque virgines illæ, omnes omninò sunt animæ Christianorum. Sed ut dicamus vobis, quod DEO inspirante sentimus; non qualescumq; animæ, sed tales animæ, quæ habent Catholicam fidem, & habere videntur bona opera in Ecclesia DEI: & tamen ex ipsis quinque sunt prudentes, & quinque fatuæ. ℟. Hæc est.

Lectio VIII.

QUarè ergo appellatæ sunt quinque; & quarè virgines, priùs videamus. Omnis anima in corpore, ideò quinariò numerò censetur: quia quinque sensib⁹ utitur. Qui ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illi-

illicito gustatu, ab illicito tactu, propter ipsam integritatem, virginis nomen accepit. Sed si bonū est, abstinere ab illicitis sentiendi motibus, & ideò unaquæq; anima Christiana virginis nomen accepit: quarè quinque admittuntur, quinque autem repelluntur?

℟. Media.

Lectio IX.

ET virgines sunt, & repelluntur. Parum est, quia virgines proprias lampades habent. Virgines propter abstinentiam ab illicitis sensibus, lampades habent propter opera bona. De quibus operibus Dominus dicit: Luceant opera vestra coram hominibus. Item Discipulis dicit: Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes. In lumbis accinctis, virginitas, in lucernis ardentibus, opera bona. Si ergo ab illicitis abstinentia bona est, unde virginitas nomen accepit: & opera bona laudabilia sunt, quæ significantur lampadibus: quarè quinque admittuntur, & quinque repelluntur.

Te DEUM laudamus.

SEPTIMA DIE.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Fulgentij Episcopi.

Epistola 3. ad Probum. Cap. 4.

Lectio IV.

TAm magnum DEUS voluit esse bonum virginitatis, ut illud non aliunde, sed ex vocabulo dignaretur nominare virtutis. Virginis itaq; si quis velit diligenter considerare vocabulum, ex virtutis inveniet nomine derivatum. Virgo enim dicitur, quasi virago. Viraginem verò Scriptura sancta, non ob aliud vocatam dicit, nisi, quia de viro sumpta est. Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est: itaq; cùm virginis nomen ex nomine viri descenderit, quis dubitet, quòd vir a virtute vocatus sit? ℟. Propter.

Lectio V.

ET quia, sicut Paulus docet, illa omnia in figura facta sunt nostri, profectò in illa virgine, quæ ex viri fiebat costa, futura jam tunc præfigurabatur Ecclesia, quæ verè de viro sumpta, & de quo sumpta, illi conjuncta, indè habet in virtute virtutem, unde habet verum viraginis nomen. Propter quod hanc viraginem, id est, virginem, quæ de Viro sumpta est, non solùm Virginis, sed etiam Viri nomine, Paulus non dubitat appellare; ait enim fidelibus: despondi enim vos uni Viro, Virginem castam exhibere CHRISTO. CHRISTUS est quippè Vir, de quo hæc Virgo sumpta est.

℟. Dilexisti.

Lectio VI.

TYpicè itaq; à viro dicitur virginis vocabulum, quia nomen à Chri-

à CHRISTO dicitur Christianum. CHRISTUS enim DEI virtus est, & DEI Sapientia, ex quo est Ecclesia, quæ virgo in fide & charitate persistens, & sapientiam possidet, & virtutem. Quæ cùm in diversis membris suis habeat donationes secundùm gratiam, quæ data est ei, differentem, majorem tamen gratiam donationis in illis membris accepit, in quibus ita spiritaliter virgo discitur, ut etiam corporeæ virginitatis integritate potiatur: in his enim, in quibus sic fidem custodit rectam, ut etiã carnem ab omni concubitu reservet intactam, quantò pleniorem habet virginitatem, tantò pleniùs, & perfectiùs ejusdem virginitatis possidet nomen.

℟. Afferentur.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc: Simile erit Regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obviam Sponso, & Sponsæ. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

ALias dixit prudentes, alias stultas. Unde intuemur? unde discernimus? de oleo. Aliquid magnum significat oleum, & valde magnum. Putas non charitas est? quærendo dicimus, non sententiam præcipitamus. Unde mihi videatur oleum charitatem significare, dicam vobis. Apostolus dicit: adhuc supereminentiorem vobis viam demonstro. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens: Ipsa est supereminens via: id est charitas, quæ meritò oleô significatur. Omnibus enim humoribꝰ oleum supereminet.

℟. Hæc est.

Lectio VIII.

QUid ergo fratres? jam disceptamus de quinque virginibus prudentibus, & quinque fatuis. Voluerunt obviam ire Sponso, corde ire, expectare ejus adventum. Sed ille tardabat. Dum tardat ille, dormierunt omnes. Quid est somnus iste? nè fortè tardante Sponso, quoniam abundat iniquitas, refrigescit charitas multorum. Siccinè intellecturi sumus istum somnum? Non mihi placet, dico quare? quia sunt ibi prudentes: Et utiq; quando dixit Dominus. Refrigescit charitas multorum, subjecit, & ait: Qui autem perseveravit usq; in finem, hic salvus erit. Non ergo eis obrepsit frigus castitatis, non in eis refriguit charitas, sed fervet usq; in fine.

℟. Media.

Lectio

Lectio IX.

EST alius somnus, quem nemo evadit. Non recordamini Apostolum dicentem: De dormientibus autem nolo vos ignorare, fratres; id est, de his, qui mortui sunt? Fatua sit virgo, prudens sit virgo, somnum mortis omnes patiuntur. Ad novissimam tubam surgent omnes. Prudentes autem illæ tulerunt oleum secum in vasis suis; stultæ verò illæ non tulerunt oleum secum. Ibi oleum, magnum oleum. De dono DEI est hoc oleum. Tu ergo tecum porta, intus porta. Ubi videt DEUS, ibi porta testimonium conscientiæ tuæ. Qui autem ambulat ad testimonium alienum, oleum non portat secum.

Te DEUM laudamus.

IN DIE OCTAVA.

In Secundo Nocturno.

De Epist: S. Hieronymi Presb. ad Eustachium.

De cunct. Virg. Tom. 1.

Lectio IV.

DE virginibus, inquit Apostolus, præceptum Domini non habeo, cur? quia & ipse ut esset virgo, non fuit imperij, sed propriæ voluntatis; neq; enim audiendi sunt, qui eum uxorem habuisse confingunt: cùm de continentia differens, & suadens perpetuam castitatem, intulerit; Volo autem omnes esse sicut me ipsum: Et infra: Dico autem innuptis & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Quarè ergo non habet Domini de virginitate præceptum? quia majoris est mercedis, quod non cogitur & offertur: quia si fuisset virginitas imperata, nuptiæ viderentur ablatæ; & durissimum erat contra naturam cogere, Angelorumq; vitam ab hominibus extorquere.

℟. Propter.

Lectio V.

ALia fuit in veteri lege felicitas: ubi dicitur beatus; qui habet semen in Sion, & domesticos in Jerusalem, & maledicta sterilis, quæ non pariebat: Et filij tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Vacuus erat orbis, & ut de typicis taceam sola erat benedictio liberorum. Proptereà & Abraham jam senex Cethuræ copulatur, & Jacob mandragorîs redimitur, & conclusam vulvam in Ecclesiæ figuram Rachel conqueritur. Paulatim verò increscente segete, messor immissus est. Virgo Elias, Elisæus virgo, virgines multi filij Prophetarum. Jeremiæ dicitur; & tu ne accipias uxorem. Sanctificatus in utero, captivitate propinqua, uxorem prohibetur accipere. Alijs verbis idipsum Apostolus loquitur; Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quæ est ista necessitas, quæ aufert gau-

gaudia nuptiarum? Tenpus breviatum est. In proximo est Nabuchodonosor.

℟. Dilexisti.

Lectio VI.

INveniebatur ergo, ut diximus, invitis tantùm hoc continentiæ bonum, & in doloribus jugiter Eva parturiebat. Postquàm verò Virgo concepit in utero, & peperit in nobis Puerum, cujus principatus in humeros ejus, DEUM fortem, Patrem futuri sæculi; soluta maledictio est: mors per Evam, vita per MARIAM. Ideoq; & ditius virginitatis donum fluxit in fæminas, quia cæpit à fæmina: statim, ut Filius DEI ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos & in terris. Tunc Holofernis caput Judith continens amputavit. Tunc Aman, qui interpretatur iniquitas, suo conbustus est igni. Tunc primùm auditum est: Quæ non est nupta, cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu. ℟. Afferentur.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc: Simile erit Regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam Sponso & Sponsæ. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

INtendat itaque charitas vestra. Sapientium lampades ardebant de oleo æterno, de conscientiæ securitate, de interiore gloria, de intima charitate. Ardebant tamen, & illarum fatuarum. Quarè tunc ardebant? quia non deerant laudes hominum. Posteà verò quàm surrexerunt, id est, in resurrectione à mortuis, cæperunt aptare lampades suas, id est, parare DEO, operum suorum reddere rationem. Et quia tunc nemo est, qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat; non erant, qui oleum venderent, cæperunt deficere lampades.

℟. Hæc est.

Lectio VIII.

CLausum est ostium. Et quid illis dictum est? Non novi vos. Non illas novit, qui omnia novit? Quid ergo est, non novi vos? improbo vos, reprobo vos. In arte mea non vos agnosco, ars mea nescit vitia, & judicat vitia, nescit faciendo, judicat arguendo. Sic ergo non novi vos. Ierunt, intraverunt quinque prudentes. Sint in vobis quinque prudentes ad istam prudentiā quinarij numeri pertinentes. Veniet enim hora, & quando nescimus, veniet. Sic clausit Evangelium: vigilate, quia nescitis diem neq; horam.

Lectio

Lectio sequens ad libitum jungatur Lectioni viij. praeced.

CORde vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila: & quando corpore dormiveris, veniet tempus, ut surgas. Cùm autem surrexeris, præpara lampades. Tunc non extinguantur, tunc interiore conscientiæ, oleô vegetentur: tunc Sponsus ille incorporeis nexib⁹ amplectatur, tunc te introducat in domum, ubi nunquam dormias, ubi nunquam possit tua lampas extingvi. Hodie verò laboramus, & lampades nostræ inter ventos sæculi hujus, tentationesq; fluctuant: sed ardeat in rubore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat ignem potiùs, quàm extinguat.

℟. Media nocte.

Lectio IX. Dominicæ occurr. legitur. & deinceps Te DEUM laudamus.

DIE XXXI. JULIJ.

In Festo S. Ignatij Societat. IESV Fundatoris Confess. non Pontif. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ seqvuntur.

ORATIO.

DEUS, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam, novô per Beatum Ignatium subsidiô, militantem Ecclesiam roborâsti: concede, ut ejus auxilio & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cælis. Qui vivis & regnas.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

IGnatius natione Hispanus, nobili genere Loyolæ in Cantabria natus, primò Catholici Regis aulam, deinde militiam secutus est. In propugnatione Pampelonēsi accepto vulnere, graviter decumbēs, ex fortuita piorum librorum lectione, ad CHRISTI Sanctorumq; sectanda vestigia mirabiliter exarsit. Ad montem Serratum profectus, ante aram Beatæ Virginis suspensis armis, noctem excubans, sacræ militiæ tyrocinium posuit. Indè, ut erat indutus saccô, traditis anteà mendico pretiosis vestibus Mãresam secessit: ubi emendicato pane & aqua victitans, exceptisqué diebus Dominicis jejunans, asperâ catenâ, ciliciôq; carnem domans, humi cubans, & ferreis se flagellis cruentans, per annum commoratus est: claris adeò illustrationibus à DEO recreatus, ut posteà dicere solitus sit; Si sacræ Literæ non extarent, se tamen pro fide mori paratum, ex ijs solùm, quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus. Quo tempore, homo literarum planè rudis admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judiciô & omnium utilitate comprobatū. ℟. Honestū fecit.

Lectio V.

VT verò se ad animarum lucra ritè formaret, subsidium literarum, à Grammatica inter pueros exorsus adhibere statuit. Cùmque nihil interim omitteret de studio alienæ salutis, mirum est, quas ubiq; locorum ærumnas ac ludibria devoraverit, asperrimaquæq; & vincula, & verbera penè ad mortem usq; perpessus, qui bus tamen longè plura pro Domini sui gloria semper expetebat. Lutetiæ Parisiorum adjunctis sibi ex illa Academia variarum nationum socijs novem, qui omnes Artium magisterijs & Theologiæ gradibus insignes erant, ibidem in Monte Martyrum prima Ordinis fundamenta jecit: quem posteà Romæ instituens, ad tria consueta, quartô additô de Missionibus votô Sedi Apostolicæ arctiùs adstrinxit, & Paulus Tertius primò recepit confirmavitque, mox alij Pontifices ac Tridentina Synodus probavêre. Ipse autem missô ad prædicandum Indis Evangelium sanctô Franciscô Xaveriô, alijsq; in alias mundi plagas ad Religionem propagandam disseminatis, ethnicæ superstitioni hæresiq; bellum indixit, eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificiô confirmatus oraculô, DEUM sicut alios alijs temporibus sanctos viros, ita Luthero ejusdemq; temporis hæreticis, Ignatium, & institutam ab eo Societatem objecisse.

℟. Amavit.

Lectio VI.

SEd in primis inter Catholicos instaurare pietatem curæ fuit. Templorum nitor, Catechismi traditio, Concionum ac Sacramentorum frequentia ab ipso incrementum accepêre. Ipse apertis ubiq; locorum ad juventutem erudiendam in literis ac pietate gymnasijs: erectis Romæ Germanorum Collegio; malè nuptarum & periclitantium puellarum cænobijs; utriusq; sexûs, tam Orphanorum, quàm Catechumenorum domibus; alijsq; pietatis operibus, indefessus lucrandis DEO animis instabat: auditus aliquando dicere: Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim DEO inservire, & proximorum saluti, quàm certum ejusdem gloriæ, statim mori. In dæmones mirum exercuit imperium, vultum ejus cælesti luce radiantē sanctus Philippus Nerius, alijque conspexêre. Deniq; ætatis annô sexagesimô quintô ad Domini sui amplexum, cujus Majorem Gloriam in ore semper habuerat, semper in omnibus quæsierat, emigravit. Quem Gregorius Decimus Quintus magnis in Ecclesiam meritis & miraculis illustrem Sanctorum fastis adscripsit.

℟. Iste homo perfecit.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ, in Evangel. Designavit Dominus & alios Septuaginta. *ex Comm. Evangelistar.* ℟℟. *de Communi Confess. non Pontif. leguntur.*

DIE VII. AUGUSTI.

In Festo S. Cajetani Conf. Clericorum Regularium Fundatoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ hic habentur propria.

Ad Magnificat in utrisq; Vesperis Antiph. Quærite primùm Regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis.

ORATIO.

DEUS, qui Beato Cajetano Confessori tuo Apostolicam vivendi formam imitari tribuisti; da nobis ejus intercessione, & exemplô in te semper confidere, & sola cælestia desiderare. Per Dominum.

Deinde fit Commem. S. Donati Episc. & Mart.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno,

Lectio IV.

CAjetanus nobili Thienæa gente Vincentiæ ortus, statim à matre Deiparæ Virgini oblatus est. Mira à teneris annis morum innocentia in eo eluxit, adeò, ut Sanctus ab omnibus nuncuparetur. Juris utriusq; Lauream Patavij adeptus, Romam profectus est; ubi inter Prælatos à Julio Secundo collocatus, & Sacerdotiô initiatus: tanto Divini amoris æstu succensus est, ut relictà aulà, se totum DEO mancipaverit. Nosocomijs proprio ære fundatis; etiam morbo pestilenti laborantibus, suis ipse manibus inserviebat. Proximorum saluti assiduâ curâ incumbebat, dictus propterea Venator animarum.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

COllapsam Ecclesiasticorum disciplinam, ad formam Apostolicæ vitæ instaurare desiderans, Ordinem Clericorum Regularium instituit, qui abdicata rerum omnium terrenarum sollicitudine; nec redditus possiderent, nec vitæ subsidia à fidelibus peterent, sed solis eleemosynis spontè oblatis viverent. Itaq; approbante Clemente Septimo, ad aram maximam Basilicæ Vaticanæ una cum Joanne Petro Carafa, Episcopo Theatino, qui posteà Paulus Quartus Pontifex Maximus fuit, & alijs duobus eximiæ pietatis viris, vota solemnia emisit. In Urbis direptione à militibus crudelissimè vexatus, ut pecuniam proderet, quam dudum in cælestes thesauros manus pauperum deportaverat; verbera, tormenta, & carceres invictâ patientiâ sustinuit. In suscepto vitæ instituto constantissimè perseveravit, soli Divinæ providentiæ inhærens, quam sibi nũquam

quam defuisse, aliquando miracula comprobârunt.

℟. Amavit.

Lectio VI.

DIvini cultus studium, nitorem domûs DEI, sacrorum rituum, observantiam, & sanctissimæ Eucharistiæ frequentiorem usum maximè promovit. Hæresum monstra & latebras non semel detexit, ac profligavit. Orationem ad octo passim horas jugibus lacrymis protrahebat; sæpè in extasim raptus, ac prophetiæ donô illustris. Romæ, nocte natalitiâ, ad præsepe Domini infantem JESUM accipere meruit à Deipara, in ulnas suas. Corpus integras noctes interdum verberationibus affligebat; nec unquam adduci potuit, ut vitæ asperitatem emolliret, testatus, in cinere & cilicio velle se mori. Deniqué, ex animi dolore, conceptô morbô; quòd offendi plebis seditione DEUM videret, cælesti visione recreatus, Neapoli migravit in cælum: ibiq; Corpus ejus in Ecclesia S. Pauli magna religione colitur. Quem multis miraculis in vita, & post mortem gloriosum, Clemens Decimus Pontifex Maximus Sanctorum numero adscripsit.

℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno, Lect. de Homil. S. August. Episc. in Evang. Nemo potest duobus Dominis servire. *sumantur ex Dominica 14. post Pentec. Et sic ordinentur: ex duabus primis fiat una, quæ erit pro VII. ex qua fiat VIII.* ℟℟. *ex Comm. Conf. non Pont. Lect. autem IX. de S. Donato Episc. Martyr. ut in Brev. suô locô. die 7. ejusdem.*

In Laudib. ad Benedictus Antiph.

Nolite soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus? Scit enim Pater vester, quid vobis necesse sit.

Et fit Commem. S. Donati Episcopi & Mart.

In Secundis Vesp. fit Comm. SS. Cyriaci & Sociorum Mart.

DIE XII. AUGUSTI.

In Festo S. Claræ Virginis. Duplex.

Omnia dicuntur de Communi Virg. exceptis ijs quæ infrà ponuntur.

ORATIO.

EXaudi nos DEUS salutaris &c.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

CLara, nobilis Virgo, Assisij nata in Umbria, sanctum Franciscum concivem suum imitata, cuncta sua bona in eleémosynas, & pauperum subsidia distribuit, & convertit. De sæculi strepitu fugiens in campestrem declinavit Ecclesiam, ibiq; ab eodem beato Francisco receptâ tonsurâ, consanguineis ipsam reducere conâtibus fortiter restitit. Et deniq; ad Ecclesiam sancti Damiani fuit per eum-

dem adducta, ubi ei Dominus plures Socias aggregavit, & sic ipsa sacratum Sororum Collegium instituit, quarum regimen, nimia sancti Francisci devicta importunitate recepit. Suum Monasterium solicitè, ac prudenter in timore Domini, ac plena Ordinis observantia annis quadraginta duobus mirabiliter gubernavit: ejus enim vita erat alijs eruditio, & doctrina, unde cæteræ vivendi regulam didicerunt.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

VT carne depressa, spiritu convalesceret: nudam humum, & interdum sarmenta pro lecto habebat, & pro pulvinari sub capite durum lignum. Unâ tunicâ cum mantello, de vili & hispido panno utebatur, asperô ciliciô nonnunquam adhibitô juxta carnem. Tantâ se frænabat abstinentiâ; ut longo tempore, tribus in hebdomada diebus nihil penitus pro sui corporis alimento gustaverit: reliquis autem diebus tali se ciborum parvitate restringens, ut aliæ, quomodo subsistere poterat, mirarentur. Binas quotannis (antequam ægrotaret) quadragesimas solo pane, & aquâ refectâ jejunabat. Vigilijs insuper, & orationibus assiduè dedita, in his præcipuè dies, noctesq; expendebat. Diutinis perplexa languoribus, cùm ad exercitium corporale non posset surgere per se ipsam, Sororum suffragiô levabatur, & fulcimentis ad tergum appositis, laborabat proprijs manibus, ne in suis etiam esset infirmitatibus otiosa. Amatrix præcipua paupertatis, ab ea pro nulla umquam necessitate discessit, & possessiones pro Sororum sustentatione à Gregorio Nono oblatas constantissimè recusavit. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

MUltis & varijs miraculis virtus suæ sanctitatis effulsit. Cuidam de Sororibus sui Monasterij loquelam restituit expeditam: alteri aurem surdam aperuit: laborantem febre, tumentem hydropisi, plagatam fistulâ, aliasq; alijs oppressas languoribus liberavit. Fratrem de Ordine Minorum ab insaniæ passione sanavit. Cùm oleum in Monasterio totaliter defecisset; Clara accepit urceum, atq; lavit, & inventus est oleô; beneficiô Divinæ largitatis adimpletus. Unius panis medietatem adeò multiplicavit, ut Sororibus quinquaginta suffecerit. Saracenis Assisium obsidentibus, & Claræ Monasterium invadere conantibus, ægra se ad portam afferri voluit, unàq; vas, in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum erat inclusum, ibiq; oravit: Ne tradas, Domine, bestijs animas confitentes tibi, & custodi famulas, quas pretioso sanguine redemisti. In cujus

jus oratione ea vox audita est: Ego vos semper custodiam. Saraceni autem partim se fugæ mãdarunt, partim, qui murum ascenderant, capti oculis præcipites ceciderunt. Ipsa deniq; Virgo, cùm in extremis ageret, à candido beatarum Virginum cætu (inter quas una eminentior, ac fulgidior apparebat) visitata, ac sacrâ Eucharistia sumptâ, & peccatorum indulgentiâ ab Innocentio Quarto dicata. Pridie Idus Augusti, animam DEO reddidit. Post obitum verò quàmplurimis miraculis resplendentem Alexander Quartus, inter Sanctas Virgines retulit.

℟. Afferentur Regi.

In Tertio Nocturno. Homil. S. Greg. Papæ in Evang. De decem Virginibus. *ex Communi Virg.*

DIE XVI. AUGUSTI.

Secunda die infra Octavam Assumptionis B. MARIÆ Virginis. Omnia dicuntur ùt in Festo ejusdem Assumpt. B. M. V. præter Lectiones sequentes.

In Primo Nocturno.

De Canticis Canticorum.

Lectio I. Cap. 2.

EGo flos campi, & lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis guttu ri meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosq; camporum, ne suscitetis, neq; evigilare faciatis dilectam, quoadusq; ipsa velit.

℟. Vidi speciosam.

Lectio II.

VOx dilecti mei: ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Jam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.

℟. Sicut cedrus.

Lectio III.

SUrge amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demolliuntur vineas:

nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Revertere: similis esto, dilecte mi, capreæ hinnulóq; cervorum super montes Bether.

℟. Quæ est ista.

In Secundo Nocturno.

De Sermone S. Joannis Damasceni.

Oratione 2. de dormitione Deiparæ.

Lectio IV.

JUbilemus in Arca Domini DEI toto animo, & muri cadent Jerichuntini, contrariarum inquam potestatum infestæ munitiones. Cum David exultemus spiritu: Arca enim Domini hodie requievit. Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos: Ave gratiâ plena, Dominus tecum. Ave gaudij pelagus inexhaustum: ave unicum molestiarum levamen: ave omnium cordis dolorum medicamentum. Ave Sancta Virgo per quam mors quidem fuit expulsa, vita autem introducta.

℟. Ornatam monilibus.

Lectio V.

TU ergo ô sacrorum sepulchrorum sacratissimum, post Domini quidem sepulchrum, quod vitæ dedit principium, quod fuit fons resurrectionis: tecum enim loquar tamquam cum animato: ubinam est aurum illud purum, quod manus Apostolorum in te condiderunt? Ubi divitiæ, quæ consumi nequeunt? Ubi pretiosus ille thesaurus, qui vitam suscepit? Ubi novum volumen, in quo ineffabiliter DEUS, Verbum sine manu inscriptum fuit? Ubi abyssus gratiæ, ubi pelagus curationum? Ubi est desiderabile illud Deiparæ Virginis corpus?

℟. Beatam me dicent.

Lectio VI.

QUid quæritis in sepulchro eam, quæ ad cælestia translata est tabernacula? cur à me custodiæ rationem exposcitis? Non possum ego Divinis jussis resistere, sacrosanctum illud corpus, quod mihi quoq; sanctitatem impertivit, ac pretiosissimi unguenti fragrantiâ me replevit, & Divinum templum effecit, relictis sindonibus abijt raptum sublime, comitantibus Angelis, Archangelis, & omnibus cælestibus potentijs. Nunc me circumdant Angeli, nunc Divina in me habitat gratia. Ego evasi officina medicinæ ægrotantibus: ego fons perennis curationum: ego remedium adversùs dæmones: ego civitas refugij omnibus ad me confugientibus.

℟. Beata es Virgo.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Intravit JESUS in quoddam Castellum: & mulier

lier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Sermone 27. de verbis Domini.

QUid autem? Putamus reprehensum esse ministerium Marthæ, quam cura hospitalitatis occupaverat, quæ ipsum Dominum hospitiô receperat? Quomodo rectè reprehendebatur, quæ tanto hospite lætabatur? Hoc si verum est, dimittant homines quod ministrant egentibus: eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab eis: vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini: occupentur circa scientiam salutarem: nihil eis curæ sit quis peregrinus in vico jaceat, quis egeat pane, quis indumentô, quis visitandus, quis redimendus, quis sepeliendus: vacent opera misericordiæ, uni instetur scientiæ. ℞. Diffusa est.

Lectio VIII.

SI melior pars est, cur non omnes hoc faciunt, quando ipsum Dominum in hac causa Patronum habemus? Non enim timemus in hac re; ne offendamus ejus justitiam, cùm patronam teneamus ejus sententiam. Et tamen ita non est, sed sicut dixit Dominus, ita est. Quomodo intelligis, Non est ita? Est autem quomodo intelligere debeas: ecce adverte. Circa multa es occupata, quando unum est necessarium. Maria meliorem partem elegit. Non tu malam, sed illa meliorem. Sed unde meliorem? Quia tu circa multa, illa circa unum. Præponitur unum multis: non enim à multis unum, sed multa ab uno. ℞. Beata es Virgo.

Lectio IX.

MUlta sunt quæ facta sunt: unus est qui fecit. Cælum & terra, mare & omnia quæ in eis sunt, quàm multa sunt? quis ista enumeret? quis horum multitudinem cogitet? quis hæc fecit? DEus omnia. Ecce bona valdè. Bona valdè quæ fecit, quantò melior ille, qui fecit? Attendamus igitur occupationes nostras circa multa. Necessarium est ministerium corpora refecturis. Quare hoc? quia esuritur, quia sititur. Misericordia miseris necessaria est. Frangis panem esurienti, quia invenisti esurientem. Tolle tamem, cui frangis panem? tolle peregrinationem, cui exhibes hospitalitatem? tolle nuditatem, cui præstas vestem? non sit ægritudo, quem visitas? non sit captivitas, quem redimis? non sit rixa, quem concordas? non sit mors, quem sepelis? In illo sæculo futuro non erunt ista mala: ergo nec ista ministeria.

DOMINICA PROXIMA
post Festum Assumpt: B.M.V.
Festum S. Hyacinthi Conf. Patroni Regni

Regni Pol. celebratur. Duplex primæ Classis cum Octava.

Omnia, ut in Breviario die 16. Augusti. præterquàm, quòd in Primo Noctur. Lectiones. Beatus vir. *de Comm. Conf. non Pont. 2dò locò. dicuntur.*

SECUNDA DIE

Infrà Octav. S. Hyacinthi Conf. P.R.P.

In Primo Nocturno. Lect. ex Dominica præced.

In Secundo Nocturno, Lectiones tres S. Ioann. Chrysostomi. Beati Hyacinthi dies, &c. *ùt in Brev. de Comm. Conf. non Pontif. 1mò locô.*

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII. Capt 12.

IN illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorij Papæ.

Homilia 13. in Evangelia.

SEd veniens Dominus, quid servis vigilantibus exhibeat, audiamus: Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet eos discumbere, & transiens ministrabit illis. Præcinget se, id est, ad retributionem præparabit. Et faciet illos discumbere, id est æterna requie refoveri. Discumbere quippe nostrum in Regno quiescere est. Unde rursum Dominus dicit: Venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob. Transiens autem Dominus ministrat, quia lucis suæ illustratione nos satiat. Transire verò dictum est, cùm de judicio ad regnum redit.

℟. Iste est, qui ante.

Lectio VIII.

SEd, quid, si servi in prima vigilia negligentes existunt? prima quippe vigilia, primævæ ætatis custodia est. Sed neq; sic desperandum est, & à bono opere cessandum. Nam longanimitatis suæ patientiam insinuans Dominus subdit: Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit; beati sunt servi illi. Prima quippe vigilia, primævum tempus est, id est, pueritia. Secunda, adolescentia vel juventus, quæ auctoritate sacri eloquij unum sunt, dicente Salomone; Lætare juvenis in adolescentia tua. Tertia autem, senectus accipitur.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

QUi ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat vel secundam: ut, qui converti à pravitatibus suis in pueritia neglexit, ad vias vitæ saltem in tempore juventutis evigilet. Et qui evigilare in secunda vigilia noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat: ut qui in juventute ad vias vitæ non evigilat, saltem in senectute respiciat. Non est jam, quid homo excusationes inveniat. DEUS despi-

despicitur, & expectat: contemni se videt, & revocat. Injuriam de contemptu suo suscipit; & tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit.

Te DEUM laudamus.

TERTIA DIE.

In Primo Nocturno, Lect. de Script. occurr. Responsoria de Comm. Conf. non Pontif. Similiter & in alijs sequentibus diebus Octavæ.

In Secundo Nocturno.

De Sermone S. Joãnis Chrysostomi. *De S. Phylogono.*

Lectio IV.

AD hanc beatam requiem transijt Beatus Hyacinthus quænam igitur oratio par sit viri laudibus, quem DEUS tam felici sorte dignatus est? Non est ulla: sed age, dic mihi, dùm idcircò silebimus? & cujus rei gratia convenimus? An dicemus non haud posse magnitudinem gestorum oratione consequi? At qui ob hoc ipsum necesse est dicere, quandoquidem hæc est præcipua laudum illius pars, quòd factis verba æquiparari non possit. Nam, quorum benefacta naturam etiam superant mortalem, perspicuum est, quòd horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus præstamus, sed suum imitabitur Dominum. Siquidem, & ille, viduæ duos tantùm obolos deijcienti in gazophilacium, non tantùm duorum obolorum mercedem reddidit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

PRoinde, quamvis nostræ facultates exiguæ sunt, minimiqué pretij, attamen, quæ possumus, offerimus. Ea licèt non respondeant magnitudini meritorum animæ præclari, justiq; Hyacinthi, tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quòd nec pusilla repellat, sed idem faciat, quod solent divites: siquidē illi, cùm acceperint à tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt, remunerantes eos, qui, quod poterant, obtulerint. Itidem & hic, cùm acceperit à nobis laudem verbis peractam, quâ nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, quâ semper uti possimus.

℟. Amavit.

Lectio VI.

VNde igitur laudationem illius auspicabimur? An à magistratu, quem spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes; quin potius frequenter habent accusationem malitiæ, quam ob causam? quoniam, & solicitudines amicorum, & circumcursationes, & adulationes, aliaq; permulta his fædiora tales magistratus solent conciliare.

Cæterum, ubi DEUS suo suffragio designarit aliquem, incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicione judicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter ejus, qui delegit auctoritatem. ℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Sermo. 39. de verbis Domini in Ioann.

AUdistis modò Evangeliū, quòd monuerit nos, cautos nos faciens, & volens esse expeditos, & paratos ad expectandum novissima: ut post novissima, quæ sunt in hoc sæculo metuenda, succedat requies, quæ non habet finem: Beati, qui participes facti fuerint. Erunt autem tunc securi, qui modò non sunt securi: & iterùm tunc timebunt, qui modò timere nolunt. Ad hanc expectationem, & propter hanc spem Christiani facti sumus. ℟. Iste est.

Lectio VIII.

NOnnè spes nostra non est de hoc sæculo? Non amemus sæculum. Ab amore sæculi hujus vocati sumus, ut aliud sæculum speremus, & diligamus. In hoc abstinere nos debemus ab omnibus illicitis concupiscentijs, hoc est, lumbos accinctos habere debemus, & fervere, & lucere in operibus bonis, hoc est lucernas ardentes habere. Dixit enim ipse Dominus Discipulis suis aliô locô Evangelij, Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. ℟. Sint lumbi.

Lectio IX.

ET, ut ostenderet unde dicebat, subjecit; & ait. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Ideò lumbos nostros accinctos esse voluit, & lucernas ardentes. Quid est, Lumbos accinctos? Declina à malo. Quid est lucere? Quid est lucernas ardentes habere? Hoc est, Et fac bonum. Quid est quod adjungit, & ait. Et vos similes estote hominibus expectantibus Dominum suum, quando veniat à nuptijs; nisi quod in illo psalmo sequitur: Inquire pacem, & sequere eam?

Te DEUM laudamus.

QUARTA DIE.

In Secundo Nocturno.

De Sermone S. Joãnis Chrysostomi.

Lectio IV.

QUantum autem sit pietatis argumentum, quod DEUS illum tanto magistratu dignum judicâ-

dicârit, audi: Christus excitatus à morte, quid dicit Petro? postquam enim illum interrogasset, Petre amas me? isq; respondisset; Tu Domine scis, quod amo te; dicit illi: Si diligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicebat, non solùm, ut nobis certissimè declararet quantopere ipsum diligeret Petrus; verùm etiam, ut palam faceret quantam haberet benevolentiam erga suas oves. Itaq; si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat.

℟. Honestum.

Lectio V.

NUllum enim officium hoc Deo carius est, & ob id alicubi dicit: Simon, Simon, expetivit te Satanas, ut cribraret te tamquam triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, quid igitur hujus solicitudinis curæq; præmium mihi rependis? eamdem curam, quam nobis impendit, reposcit: nam & tu, inquit, aliquando conversus confirma fratres tuos. Neq; prorsùs alia res est, quæ perinde declaret, doceatq;, quis sit fidelis, & amans Christi, quam si fratrum curam agat, proq; illorum salute gerât solicitudinem.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

HÆc omnes audiant, & monachi, qui montium occupârunt cacumina, quiq; modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, quò pro viribus Ecclesiarum profectos adjuvent, horumq; curas leniant precibus, concordia, charitate; scientes, quòd nisi modis omnibus opitulentur ijs, qui tot periculis objiciuntur, per gratiam DEI, totq; negotiorum curas sustinent, quibuscumq; possunt rationibus auxilientur, quamquam procul habitantes, & victûs sors ipsis perijsset, & tota in scopulum impegisset sapientia. ℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

HÆc tria, hoc est, abstinentia à malo, & operatio boni, & spes præmij æterni commemorata sunt in Actibus Apostolorum, ubi scriptum est, Quia docebat eos Paulus de continentia, de justitia, & spe vitæ æternæ. Ad continentiam pertinet. Sint lumbi vestri præcincti: Ad justitiam pertinet. Et lucernæ ardentes: Ad expectationem Domini pertinet, quæ est spes vitæ æternæ. Ergo declina à malo, hæc est continentia, hi sunt lumbi accincti: Et

fac bonum, hæc est justitia, hæc sunt lucernæ ardentes: Quære pacem, & sequere eam, hæc est expectatio futuri sæculi.

℟. Iste est.

Lectio VIII.

HAbentes autem ista præcepta, & promissa quid quærimus in terra dies bonos ubi eos invenire non possumus? Scio enim, quia eos quæritis, quando aut ægrotatis, aut in tribulationibus estis, quæ abundant in isto sæculo: quoniam, quando ætas vergit ad finem, & senex plenus est querelis, & nullis gaudijs: inter omnes tribulationes, quibus conteritur genus humanum, non quærunt homines nisi dies bonos, & vitam volunt longam, quam hic habere non posſũt.

℟. Sint lumbi.

Lectio IX.

QUid ergo est vita hominis, etiam illa, quæ longa dicitur? Audite, non à me, sed mecum simul, ait enim nobis quidam; venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Et quam rem vult docere? & cui rei utilis est timor Domini? sequitur: Quis est homo, qui vult vitam & diligit dies videre bonos? Respondemus omnes, Nos volumus. Quod sequitur, audiamus: Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Modò dic, Ego, Eja, respondeat mihi aliquis, Ego. Et cùm hoc feceris, securus expecta vitam & dies bonos: quære pacem & sequere eam: & tunc bona frõte dices Domino: Feci quod jussisti, redde quod promisisti.

Te DEUM laudamus.

QUINTA DIE.

In Secundo Nocturno.

Tres Lectiones S. Gregorij. Deridetur justi simplicitas &c. *ùt in Breviario de Communi Conf. non Pontif. 2dô locô.*

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi.

Ex Serm. 24. post init.

NOvus ordo vigiliarum, novus habitus imperatur: Sint lumbi vestri præcincti. Nil de vestitu, nil de calceamentis, nil de ipsius occursus apparatu servi vigiles admonentur: sed tota in præcingendis lumbis mandatur cura, tota in constringendis lumbis statuitur vis præcepti, additô lucernarum solatiô tantùm, sine quo nec noctis aperitur obscuritas, nec venientis diei clarescit aspectus.

℟. Iste est.

Lectio VIII.

CIngulum quidem est propriè indicium servitutis; quòd & dicitur.

scursus expeditos reddat, & faciat obsequentes, sed dixisse suffecerat, estote præcincti: cur lumbos potissimùm nominat? cur tanta jubentis reverentia lumborum facit magnopere mentionem? quæris quare? quia in lumbis est tota corporis causa; ex lumbis tota carnis negotia suscitantur, in lumbis tota est humani lapsûs, humanæ fragilitatis occasio. Inde venit, quòd virtutis ignaros reddit, efficit segniores. ℟. Sint lumbi.

Lectio IX.

HInc est ergo, quòd principaliter Dominus lumbos nostros astringi jubet baltheô castitatis; & totum carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum, constringi mãdat continuâ zonâ virtutis: ut carne succincta, ad Domini occursum liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus. Hæc tamen audiens homo scire debes, quia te non retardat ab occursu DEI caro: quia ipsius occursus officij ipsius est inseparabilis comes, si tu ejus componas sarcinas, si releves onera ejus, si pendula, & sinuosa involucra ejus tu providus viator astringas.

Te DEUM laudamus.

SEXTA DIE.

In Secundo Nocturno.

Ex Libro Moral. S. Gregorij Papæ.

Lib. 10. cap. 17.

Lectio IV.

BEnè justi simplicitas, & lampas esse dicitur, & contempta. Lampas, quia interius lucet: & contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lucet ergo, & despicitur, qui flagrans virtutibus abjectus æstimatur. Sed usquequò lampas ista contemnitur? usquequò despicabilis habetur? Numquid non fulgorem suum nullatenus exerit, & numquam, quanta claritate candeat, ostendit? Ostendit planè: Nam protinus additur: Parata ad tempus statutum: Statutum quippe contemptæ lampadis tempus est extremi judicij prædestinatus dies, quo justus quisquè qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur. ℟. Honestum.

Lectio V.

TUnc enim cum DEO judices veniunt, qui nunc pro DEO injustè judicantur. Tunc eorum lux tantò latiùs emicat, quantò eos nunc manus persequentium durius angustat. Tunc reproborum oculis patescet, quòd cælesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Unde electis suis Veritas dicit: Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis, & vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël. Neq; enim

nim plusquam duodecim judices illa æterni consessûs curia non habebit, sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur: quia quisquis stimulo Divini amoris excitatus hìc possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit.

℟. Amavit.

Lectio VI.

HInc est enim, quòd de sanctæ Ecclesiæ Sponso, per Salomonem dicitur; Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ: Hinc Isaias ait: Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui. Hinc eosdem seniores Veritas non jam famulos, sed amicos denuntiat, dicens: Non jam dicam vos servos, sed amicos meos. Quos nimirum Psalmista intuens ait: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui DEUS. Quorum dum celsitudinem cordis aspiceret, mundi gloriam, qua calce calcarent, protinus addidit: Nimis confortatus est principatus eorum. Ac ne paucos esse crederemus, quos proficere usq; ad summam tantæ perfectionis agnoscimus, illicò adjunxit: Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Quot itaq; nunc pro amore veritatis sese libenter humiliant, tot tunc in judicio lampades coruscant.

℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.

COnstringenda est ergo caro continentiæ cingulô; nè effusa vitijs, ac toto peccatorum gravata pondere, supernis, & cælestibus insistere non possit incessibus. Benè Dominus adjecit: & lucernæ ardentes in manibus vestris, quia semper ad innocentiæ testimonium lucernæ nocturno portãtur in tempore: & sicut vitijs amicæ semper sunt tenebræ, ita lucernæ semper inimicæ criminibus, sociæ semper boni operis sunt lucernæ. ℟. Iste est.

Lectio VIII.

SEd in manibus Sanctorum ipsa bona opera sunt lucernæ, dicente Domino: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & verè portant lucernas suas, verè fomentis operum, verè misericordiæ unguento inflammant lampades suas: qui cum loco proposito studio latitãt, opere, virtute, meritis coruscant, ac splendent toto orbe terrarum, & quia expectationis suæ Dominus satis tristes, satis anxios noverat mores; nè quis superaretur tædio,

tædio, nè quis lassesceret tarditate, nè quis longæ expectationis fatigatione succumberet, perseverantibus beatitudinem cælestem, cæleste promittit obsequium.

℟. Sint lumbi.

Lectio IX.

ET, nè ipsius beatitudinis qualitas haberetur incerta, mox adjecit: Amen dico vobis, quia præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens, ministrabit eis. Præcinget se DEUS, & faciet servos discumbere, & ministrabit eis. En mutatio inaudita rerum, en terribilis correptio dominationis, en pavenda conversio servitutis: quia parumper servus astitit in Domini sui expectatione succinctus, & sustinendi fidem brevi fatigatione portavit: cui ut talionem redderet, dissimulat se in ipsa divinitate divinitas.

Te DEUM laudamus.

SEPTIMA DIE.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Sermone 1. de S. Victore.

Lectio IV.

SAncti Hyacinthi vita, & gloria specialis, non tam ad gloriam, quàm ad virtutem provocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti planè, sed perversi est animi ante quærere gloriam, quàm exercere virtutem, & velle coronari, qui legitimè non certaverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere, ita est: frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui prius non claruit virtute: frustra fatuæ virgines Sponso obviam surgunt, quarum lampades extinguuntur: & ideò fatuæ, quia vacuis gloriantur lampadibûs, virtutis oleum non habentes.

℟. Honestum.

Lectio V.

VIrtus gradus ad gloriam: virtus mater gloriæ est. Fallax gloria, & vana est pulchritudo, quam illa non parturivit. Sola est, cui gloria jure debetur, & securè impenditur. Sancto Hyacintho nec virtus, nec gloria deest: sed quemadmodum ambæ res, & quo ordine in homine processerunt, id operæ pretium intueri. Habemus enim dilectissimi in vita Hyacinthi, & quod dignè miremur, & quod salubriter imitemur. Tutius sanè æmulanda solidiora, quàm sublimiora, & quæ magìs virtutem redoleant, gloriam minùs. Studeamus proinde moribus confirmari, cui in mirabilibus similari, &, si volumus, non valemus.

℟. Amavit.

Lectio VI.

ÆMulemur in viro sobrium victum, devotum affectum, æmulemur mansuetudinem spiritꝰ, castimoniam corporis, oris custodiam, animi puritatem, ponere fræнum iræ, & nodum linguæ, dormire

mire parciùs, orare frequentiùs, commonere nosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, diebus jungere noctes, & divinis laudibus occupare: æmulemur charismata meliora; æmulemur, inquam, quòd extitit liberalis in pauperes, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma est, cui imprimamur, in miraculis gloria, à qua reprimamur; illa lætificent, ista ædificent: moveant illa, ista promoveant. ℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.

DIscumbenti homini DEUS astat, & astat in cælestibus: epulanti servo servit Dominus, & servit accinctus: pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus, & facit in Patris jam gloria constitutus. Homo calumniaris: est adhuc quod detulerit pati, qui tibi in terra lavando pedes extremum repræsentavit obsequium, & repromittit in cælestibus novissimam servitutem. Ille tibi in cælestibus parat conviviū, se ministro: & tu illi in terra non desinis continuas ingerere, & generare blasphemias. ℟. Iste est.

Lectio VIII.

FAciet & ille transitus suos, quia transiens ministrabit illis: de dominatione ad fidelium suorum pia transiet, & magistrabit obse: quia, ad te de misericordi parte severissimum transibit in judicem. Confitentibus, expectantibus ministrabis epulas, ministrabit & tibi, sed dignam de tua negatione sententiam. Si in secunda, & tertia vigilia venerit: vigilias mundus plures, tres tantùm vigilias novit expectatio Trinitatis: quarè tamē à secunda cæpit, & tacuit primā; Quia prima jam vigilia in ortu Dominicæ Nativitatis excesserat.

℟. Sint lumbi.

Lectio IX.

PRobant hoc pastores, qui dum supra gregem suum vigilant, gregis ipsum Pastorem in præsepio invenire, videre, tenere merentur, & Auctorem: sed quæ sit secunda, & tertia vigilia, requiramus. Sicut utiquè prima vigilia est sui ortus in carne, ita secunda est vigilia, qua nostra redit, & resuscitatur in carne. Deniq; ut ad resurgentem veniat, annus excitatur, & evigilat mundus. Tertia vigilia est illa, quâ expectatio tota novissimo venientis finitur adventu: ut sicut ille resurrexit nobis, ita nos illi jam perpetuam resurgamus ad vitam.

Te DEUM laudamus.

IN

IN DIE OCTAVA.

In Secundo Nocturno.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio IV.

GAudete in Domino dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia, indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplô. Iterum dico, gaudete, quòd factus de medio appropiavit DEO, ut multò plures ejus intercessione salventur: in terris visus est, ut esset exemplô: in cælum lævatus est, ut sit patrociniô. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam: factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat, & supplicantis affectum, & supplicationis fructum; quid enim quærat sibi, qui nullius eget?

℟. Honestum.

Lectio V.

HÆc dies gloriosæ migrationis ejus, dies lætitiæ cordis ejus, exultemus, & lætemur in ea. Introivit in potentias Domini, gaudeamus: quia nunc potentior est ad salvandum. Hodie Hyacinthus posito corpore, tantò alacrior, quantò expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Hodie despectô mundô, & mundi principe triumphatô, supra mundum victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Ascendit autem cum immensa supellectili meritorum; clarus triumphis, miraculis gloriosus: sedet veteranus miles, debita jam suavitate, & securitate quietus; securus quidem sibi, sed nostri solicitus. O venerandam etiam ipsis Angelis sanctitatem, quam pari studio, & si dispari voluntate, & mali fugitant, & frequentāt boni: nec facilè dixerim, quid favor, aut pavor illorum.

℟. Amavit.

Lectio VI.

O Miles emerite, qui Christianæ militiæ duris laboribus Angelicæ felicitatis requiem commutasti: respice ad imbelles, & imbecilles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios, & spiritales nequitias tuis laudibus occupamur, quàm pium, quàm dulce, quàm suave, ô S. Hyacinthe in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari. Nomen tuum, & memoriale tuum favus distillans in labijs captivorum, mel, & lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eja ergo fortis Athleta, dulcis patrone, advocate fidelis; exurge in adjutorium nobis; ut & nos de nostra ereptione gaudeamus, & tu de plena victoria glorieris.

℟. Iste homo.

In Ter-

In Tertio Nocturno,

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia S. Fulgentij Episcopi.

Ex Serm. de Confess.

SI justum Domini sermonem secundùm literam velimus accipere, nihil in eo commodi spiritalis possumus invenire: quid enim proficit ad animæ salutem, si aliquis corporaliter, aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? In lumbis itaq; concupiscentia carnalis ostenditur, in lucernis verò fides, & charitas Christiana monstratur. Jubens igitur Dominus lumbos nostros præcingi; concupiscentias carnis sine dubio præcipit refrænari. Imperans autem, ut lucernas ardentes habeamus, hoc utiq; jubet, ut & lumine veræ fidei splendeamus, & sanctæ charitatis, operibus ferveamus.

℟. Iste est.

Lectio VIII.

ISta, quæ de Evangelio proposuimus, cum propheticis sermonibus conferamus. Utrumq; enim testamentum DEUS instituit, unus Dominus dedit: & si sunt utrisq; testamenti diversa pro temporibus Sacramenta; concordat tamen in utroq; salutis humanæ sententia, qua præcipitur, ut non peccemus, & jubetur ut bonis operibus insistamus. Per Isaiam Dominus omnes his admonet verbis: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite perversè agere, discite benefacere, quid est enim, sint lumbi vestri præcincti, nisi quiescite agere perversè? quid est sint lucernæ ardentes, nisi, discite benefacere? ℟. Sint lumbi.

Lectio IX. sequens ad libitum jungatur Lectioni VIII. præcedenti. De præcepto autem legitur Homilia in Evangelium Dominicæ occurrentis, ejusdemq; comm. fit.

PRæcingũtur enim fidelium lumbi, dum concupiscentia mala comprimitur, dum iniqua cogitatio cohibetur, dum libidini resistit animus, dum lasciviæ denegatur affectus, dum calcatur luxuria, dum avaritia contemnitur, & rapina, dum proximi læsio devitatur, dum superbia vincitur, dum invidia superatur. Ardent verò lucernæ fidelium, dum rectæ fidei regulam servant, dum in sinu matris Ecclesiæ longanimiter perseverant, dum terrena contemnunt, & cælestia concupiscunt, dum soliciti pacem custodiunt, dum se invicem purè diligunt, dum mutuo se honore præveniunt, dum mansuetudine cordis, & humilitate proficiunt, dum misericordiæ opera libenter, atq; hilariter faciunt, dumq; in operibus bonis, non

, ſed DEO place-
non homi..
re cont.NICA PRIMA
Dᵭvam Aſſumpt. B.M.V.
poſt..slatio *S. Caſimiri Patroni Reg.*
. ſub ritu duplici celebratur. Sed
. Calendario Diœceſis Crac. propter perpetuam occurrentiam Octava S. Hyacinthi Conf. T. R. T. transfertur in diem proximè ſequentem non impeditam alio Feſto cadenti.

Omnia ùt in ejus Feſto 4. Martij. præter ea quæ ſequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Caſimirum de mundi & carnis victoria triumphantem, à terreno ad cæleſte Regnum transtuliſti; da quæſumus; ut qui ejus hodie memoriam Translationis agimus: ejuſdem ſemper in adverſitatibus experiamur ſuffragia. Per Dominū.

In Secundo Nocturno, Lectioni 3tiæ hæc apponi debent.

IN cujus honorem, pluribus etiam per Joannem Caſimirum Regem gratijs in Regni tutelam adversùs infideles receptis, pietate primùm Sigiſmundi Tertij Vilnæ regiè exſtructô, & à Uladislao Quarto pari munificentia abſolutô Sacellô, & illuc corpore honorificentiſſimè translato, ejuſmodi Trās-lationis memoria hodie, ipſo Joanne Caſimiro de hoc Sedi Apoſtolicæ ſupplicante anniverſaria celebritate colitur. Et quoad diem celebrandi Feſtum & Officium ſub ritu duplici per totum Regnum Poloniæ illum transferri in Dominicam primam poſt Octavam Feſti Aſſumptionis B.V. MARIÆ Innocentius Decimus indulſit.

DIE XXIII. AUGUSTI.

In Feſto S. Philippi Benitij Confeſſoris. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter Orationem & Lectiones, Secundi Nocturni quæ ſequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui per Beatum Philippum Confeſſorem tuum eximium, nobis humilitatis exemplum tribuiſti: da famulis tuis proſpera mundi ex ejus imitatione deſpicere, & cæleſtia ſemper inquirere. Per Dominum noſtrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

PHilippus ex nobili Benitiorum familia Florentiæ natus, futuræ ſanctitatis jam indè ab incunabulis indicium præbuit. Vix enim quintum ætatis menſem ingreſſus, linguam in voces mirificè ſolvit, hortatuſq; fuit matrem, ut Deiparæ Servis eleëmoſynam impertiret. Adoleſcens, dum Pariſijs literarum ſtudia cum pietatis ardore conjū-geret, plurimos ad cæleſtis Patriæ deſiderium inflammavit. Reverſus in Patriam, & ſingulari viſione à Beatiſſima Virgine in Servorum ſuorum familiam nuper inſtitutam

vocatus, in Senarij montis antrum concessit, ubi asperam quidem, jugi corporis castigatione, sed Christi Domini cruciatuum meditatione suavem vitam duxit; indequè per universam penè Europam, magnamq; Asiæ partem, quam Evangelicis prædicationibus obivit, sodalitia septem Dolorum DEI Matris instituit, suumq; Ordinem eximiò virtutum exemplò propagavit. ℟. Honestum fecit.

Lectio V.

DIvinæ charitatis & Catholicæ fidei dilatandæ ardore vehementer accensus, sui Ordinis Generalis reluctans, atq; invitus renuntiatus, Fratres ad prædicandū Christi Evangelium in Scythiam misit. Ipse verò plurimas Italiæ urbes concursans, gliscentes in eis civium discordias composuit, multasq; ad Romani Pontificis obedientiam revocavit; nihilq; de studio alienæ salutis omittens, perditissimos homines è vitiorum cœno ad pænitentiam, ac Jesu Christi amorem perduxit. Orationi summoperè addictus, sæpè in extasim rapi visus est. Virginitatem verò adeò coluit, ut ad extremum usq; spiritum voluntarijs, ac durissimis supplicijs illibatam custodierit.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

EFfloruit in eo jugiter singularis erga pauperes misericordia: sed præcipuè cùm apud Camilianum, agri Senensis vicum, leproso nudo elèèmosynam petenti, propriam, qua indutus erat, vestem fuit elargitus; quà ille contectus, statim à lepra mundatus est; cujus miraculi cùm longè latèquè fama manasset, nonnulli ex Cardinalibus, qui Viterbium, Clemente Quarto vita functo, pro Successore deligendo convenerant, in Philippum, cujus cælestem etiā prudentiam perspectam habebant, intenderunt. Quo comperto Vir DEI, nè forte Pastoralis regiminis onus subire cogeretur, apud Tuniatum montem tamdiu delituit, donec Gregorius Decimus Pontifex Maximus fuerit renunciatus; ubi Balneis, quæ etiam hodie sancti Philippi vocantur, virtutem sanandi morbos suis precibus impetravit. Deniq; Tuderti annô millesimô ducentesimô octogesimô quintô in Christi Domini è Cruce pendentis amplexu, quem suum appellabat librum, sanctissimè ex hac vita migravit. Ad ejus tumulum, cæci visum, claudi gressum, mortui vitam receperunt. Quibus, alijsq; plurimis fulgentem signis, Clemens Decimus Pontifex Maximus Sanctorum numero adscripsit. ℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno. Homil. V. Bedæ Presbyt. in Evang. Nolite timere. *ut in eodem Comm. Conf. non Pontif. adhuc locô. Et IX. Lectio legitur de Vigilia*

gilia S. Bartholomæi Apost. nam die sequenti celebratur Festum ejusdem S. Apost. ex Calendario Diæcesis Crac.

DIE XXV. AUGUSTI.

In Festo S. Ludovici Regis Franciæ Conf. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Ludovicum Confessorem tuum, de terreno regno ad cælestis regni gloriam transtulisti: ejus quæsumus meritis, & intercessione, Regis regum JESU Christi Filij tui facias nos esse consortes. Qui tecum vivit & regnat.

In Hymno. Iste Confessor. ℣. *mutatur 3tius.*

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

LUdovicus nonus Galliæ Rex, duodecim annos natus, patre amisso, & in Blanchæ matris sanctissima disciplina educatus, cùm jam vigesimum annum in regno ageret, in morbum incidit: quo tempore cogitavit de recuperanda possessione Jerosolymorum. Quamobrem ubi convaluisset, vexillum ab Episcopo Parisiensi accepit: deinde mare cum ingenti exercitu traijciens, primò præliô Saracenos fugavit. Sed cùm ex pestilentia magna militum multitudo perijsset, victus ipse, captusq; est.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

REbus posteà cum Saracenis cõpositis, liber rex exercitusq; dimittitur. Quinq; annis in Oriente commoratus, plurimos Christianos à barbarorum servitute redemit, multos etiam infideles ad Christi fidem convertit; prætereà aliquot Christianorum urbes refecit suis sumptibus. Interim Mater ejus migrat è vita: quarè domum redire cogitur, ubi totum se dedit pietatis officijs.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

MUlta ædificavit monasteria, & pauperum hospitia; beneficẽtiâ egentes sublevabat; frequens visebat ægrotos: quibus ipse non solùm suis sumptibus omnia suppeditabat, sed etiam, quæ opus erant, manibus ministrabat: vestitu vulgari utebatur, ciliciô ac jejuniô corpus assiduè affligebat. Sed cùm iterum transmisisset, bellum Saracenis illaturus, jamq; castra in eorum conspectu posüisset; pestilentiâ decessit in illa oratione: Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Ejus corpus posteà Lutetiam Parisiorum translatum est, quod in celebri sancti Dionysij templo asservatur, & colitur; caput verò in sacra Æde sanctæ Capellæ. Ipse

clarus miraculis à Bonifacio Papa Octavo in Sanctorum numerum est relatus. ℞. Iste homo.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII. Cap. 19. b

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reverti. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosij Episcopi.

Libro 8. in Lucam.

BOnus ordo, ut vocaturus Gentes, & Judæos jussurus interfici, qui noluerunt regnare supra se Christum, hanc præmitteret comparationem, ne diceretur: Nihil dederat populo Judæorum, unde poterat melior fieri? ut quid ab eo, qui nihil recepit, exigitur? Non mediocris ista est mna, quam supra mulier Evangelica, quia non invenit, lucernam accendit, lumine quærit admoto, gratulatur inventam. ℞. Iste est qui ante.

Lectio VIII.

DEniquè ex una decem mnas alius fecit, alius quinque. Fortasse iste moralia habet, quia quinque sunt corporis sensus: ille duplicia, id est, mystica legis, & moralia probitatis. Unde & Matthæus quinque talenta, & duo talenta posuit: in quinque talentis ut sint moralia; in duobus utrumquè, mysticum atq; morale. Ita quod numero inferius, re uberius. ℞. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

ET hic possumus decem mnas, decem verba intelligere, id est, legis doctrinam; quinque autem mnas, magisteria disciplinæ. Sed legis peritum in omnibus volo esse perfectum. Non enim in sermone, sed in virtute est regnum DEI. Benè autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicatam pecuniam deferunt; non utiq; æris, sed dispensationis usuris. Alia est enim pecuniæ fœnebris, alia doctrinæ cælestis usura. Te DEUM laudamus.

DIE XXX. AUGUSTI.

In Festo S. Rosæ, à S. MARIA, Virginis Limanæ. Duplex.

Omnia de Communi Virgin. præter ea quæ sequuntur.

ORATIO.

BOnorum omnium largitor omnipotens DEUS, qui Beatam Rosam, cælestis gratiæ rore præventam, virginitatis, & patientiæ decore Indis florescere voluisti: da nobis famulis tuis; ut in odorem suavitatis ejus currẽtes Christi bonus odor effici mereamur. Qui tecum vivit, & regnat.

Et fit comm. Decollat. S. Ioan. Baptistæ & SS. Felicis & Adaucti Mart.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Se-

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

PRimus Americæ Meridionalis flos sanctitatis virgo Rosa, Christianis Parentibus Limæ progenita, mox ab incunabulis claruit futuræ sanctimoniæ indicijs; nam vultus infantis mirabiliter in Rosæ effigiem transfiguratus, huic nomini occasionem dedit: cui posteà Virgo Deipara cognomen adjecit, jubens vocari deinceps Rosam à S. MARIA. Quinquennis votum perpetuæ virginitatis emisit. Adultior, ne à parentibus ad nuptias cogeretur, clàm sibimet venustissimam capitis cæsariem præscidit. Jejunijs supra humanum modum addicta, integras Quadragesimas transegit pane abstinens, ac dietim solis quinque granulis mali citrini victitans.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

HAbitu Tertij Ordinis sancti Dominici assumpto, pristinas vitæ austeritates duplicavit: oblongo, asperrimoq; cilicio sparsim minusculas acus innexuit: sub velo coronam densis aculeis introrsus obarmatam interdiu, noctuq; gestavit. Sanctæ Catharinæ Senensis ardua premens vestigia, catenâ ferreâ, triplici nexu circumductâ, lubos cinxit. Lectulum sibi è truncis nodosis composuit, horumq; vacuas commissuras fragminibus testarum implevit. Cellulam sibi angustissimam struxit in extremo horti angulo, ubi cœlestium contemplationi dedita, crebris disciplinis, inedia, vigilijs corpusculum extenuans, at spiritu vegetata, larvas dæmonum, frequenti certamine victrix, impavidè protrivit, ac superavit. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

ÆGritudinum tormentis, domesticorum insultibus, linguarum morsibus dirè agitata, nondùm satis pro merito se affligi querebatur. Per quindecim annos ad plusculas horas desolatione spiritus, & ariditate miserrimè cōtabescens, forti animo tulit agones omni morte amariores. Exinde cœpit supernis abundare delicijs, illustrari visionibus, colliquescere Seraphicis ardoribus Angelo tutelari, sanctæ Catharinæ Senensi, Virgini Deiparæ inter assiduas apparitiones, mirè familiaris, à Christo has voces audire meruit: Rosa cordis mei tu mihi sponsa esto. Deniq; Sponsi hujus Paradiso feliciter invectam, plurimisq; ante & post obitum miraculis coruscam, Clemens Decimus Pontifex Maximus Sanctarum Virginum catalogo ritu solemni adscripsit.

℟. Afferentur Regi.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Evang. Simile erit Regnum cœlorum decem Virginibus. *9. lect. & comm. in Laud. SS. Felicis, & Adaucti Mart.*

DIE

DIE XXXI. AUGUSTI.

In Festo S. Raymundi Nonnati, Conf. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ sequuntur.

In Hymno. Iste Confessor. *mutatur 3tius* ℣.

ORATIO.

DEUS, qui in liberandis fidelibus tuis ab impiorum captivitate, Beatum Raymundum Nonnatum Confessorem tuum mirabilem effecisti: ejus nobis intercessione concede; ut à peccatorum vinculis absoluti, quæ tibi sunt placita, liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

In Primo Nocturno Lectiones. Beatus vir. *ut in Communi Conf. non Pontificis 2do loco.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

RAymundus Nonnatus cognomentô dictus, qui præter communem naturæ legem è mortuæ matris dissecto latere in lucem eductus fuit, Portelli in Catalonia, pijs & nobilibus parentibus ortus, ab ipsa infantia futuræ sanctitatis indicia dedit. Nam puerilia oblectamenta, mundiq; illecebras respuens, ita pietati operam dabat, ut omnes in puero adultam virtutem admirarentur. Crescente verò ætate, literarum studijs incubuit: sed mox jubente patre vitam ruri agens, Sacellum sancti Nicolai in Portelli finibus situm crebrò adibat, ut sacram Deiparæ imaginem, quæ in eo summa fidelium veneratione etiam nunc colitur, visitaret. Ibi effusus in preces, ipsam DEI Parentem, ut se in filium adoptare, viamq; salutis, ac scientiam Sanctorum edocere dignaretur, enixè deprecabatur.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

NEc defuit votis ejus benignissima Virgo: ab ipsa enim intellexit gratissimum sibi fore, si Religionem sub titulo de Mercede, seu de Misericordia Redemptionis Captivorum, ea suggerente nuper fundatam, ingrederetur. Qua monitione percepta, Barcinonam statim profectus, illud tam præcellentis erga proximum charitatis institutum amplexus est. Regulari igitur militiæ adscriptus, virginitatem, quam pridem Beatæ Virgini consecraverat, perpetuò coluit, cæterisq; virtutibus enituit, charitate præsertim erga Christianos, qui sub potestate Paganorum miseram in captivitate vitam degebant. Hos ut redimeret, in Africam missus, cùm jam multos à servitute liberasset, ne, consumptâ pecuniâ, alijs item in proximo abnegandæ fidei discrimine constitutis deesset, seipsum pignori dedit: sed, cùm ardentissimô salutis animarum desideriô succensus, plures Machometanos suis concionibus ad Christum converteret, in arctam custo-

custodiam à barbaris conjectus, varijsq; supplicijs cruciatus, mox labijs perforatis, & serâ ferreâ clausis, crudele Martyrium diu sustinuit. ℟. Amavit.

Lectio VI.

OB hæc, & alia fortiter gesta, sanctitatis ejus fama longè latèq; diffusa est, qua permotus Grægorius Nonus in amplissimum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinaliũ Collegium Raymundum adscripsit: sed Vir DEI in ea dignitate ab omni pompa abhorrens, religiosæ humilitatis tenacissimus semper fuit. Romam verò pergens, statim ac Cardonam pervenit, extremô morbô confectus, Ecclesiasticis Sacramentis muniri summis precibus postulavit. Cumq; morbus ingravesceret, & Sacerdos diutius tardaret, Angelorum ministeriô, sub specie Religiosorum sui Ordinis apparentium, salutari viatico refectus fuit. Quo sumpto, & gratijs DEO peractis, migravit ad Dominum, Dominicâ ultimâ Augusti, annô millesimô ducentesimô quadragesimô. Mortui corpus, cùm circa locum sepulturæ, contentio orta esset, arce inclusum, & mulæ cœcæ impositum, ad Sacellum sancti Nicolai, DEI nutu delatum fuit, ut ibi tumularetur, ubi prima jecerat sanctioris vitæ fundamenta. Illic constructô sui Ordinis Cænobiô, à confluentibus voti causâ ex universa Catalonia fidelibus populis honoratur, varijs miraculis, & signis gloriosus.

℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno.

Homilia S. Gregorij Papæ in Evang. Sint lumbi vestri. *ut in Communi Confess. non Pontificis.*

DIE II. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Stephani, Hungariæ Regis, Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontificis, præter ea, quæ hic ponuntur.

In Hymno dicatur. Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

O R A T I O.

COncede quæsumus, Ecclesiæ tuæ omnipotens DEUS: ut Beatum Stephanum Confessorem tuum, quem regnantem in terris propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur gloriosum in cælis. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

STephanus in Hungariam Christi fidem, & regium nomen invexit: regiâ coronâ à Romano Pontifice impetratâ; ejusq; jussu in regem inunctus. Regnum Sedi Apostolicæ obtulit: varia pietatis domicilia Romæ, Jerosolymîs, Constantinopoli, in Hungaria Archiepiscopatum Strigoniensem, Episcopatus decem, admirabili religione & munificentia fun-

davit. Par in pauperes amor, & liberalitas: quos veluti Christum ipsum complectens, neminem à se merentem ac vacuum unquam dimisit; quin ad eorum inopiam sublevandam amplissimis facultatibus erogatis, domesticam quoq; supellectilem eximia benignitate frequenter distribuit: suis insuper manibus lavare pauperum pedes, noctu solus & ignotus nosocomia frequentare, decumbentibus inservire, ac cætera charitatis officia exhibere consuevit: quarum virtutum meritô illius dextera, resoluto cætero corpore, incorrupta permansit. ℟. Honestum fecit.

Lectio V.

ORandi studio noctes penè totas ducebat insomnes, atq; in cælestium rerum contemplatione defixus, interdum extra sensus raptus, sublimis in àëra ferri visus fuit. Perduellium conspirationes, ac validorum hostium impetus, mirô prorsùs modô, non semel orationis præsidiô evitavit. Susceptum ex Ghisella Bavarica, sancti Henrici Imperatoris sorore, quam sibi matrimonio junxerat, Emericum filium tanta morum disciplina, taliq; pietate enutrivit; quantum ejus posteà sanctitas declaravit. Regni verò negotia ita disposuit, ut accitis undiq; prudentissimis, ac sanctissimis Viris, nihil unquam sine illorum consilio moliretur. Humillimis interim precibus, in cinere, & cilicio, DEUM deprecans; ut universum Hungariæ Regnum, antequàm è vita migraret, Catholicum videre mereretur. Verè propter ingens dilatandæ fidei studium, illius gentis Apostolus nuncupatus, facta à Romano Pontifice ipsi; posterisq; Regibus præferendæ Crucis potestate. ℟. Amavit eum.

Lectio VI.

DEI Genitricem, quam ardentissimè venerabatur, amplissimô in ejus honorem constructô Templô, Hungariæ Patronam instituit; ab eadem vicissim Virgine receptus in cælum, ipso suæ Assũptionis die, quem Hungari è Sancti Regis instituto Magnæ Dominæ diem appellant. Sacrum ejus corpus suavissimo fragrans odore, liquore cælesti scatens, inter multa, & varia miracula, Romani Pontificis jussu, nobiliorem in locum translatum est, atq; honorificentiùs conditum. Ejus autem Festum Innocentius Undecimus Pontifex Maximus, quartô nonas Septembris, ob insignem victoriam ab exercitu Leopoldi primi Romanorum electi Imperatoris, & Hungariæ Regis, eadem die in Budæ expugnatione, ope Divina, è Turcis reportatam, celebrandum instituit.

℟. Iste homo perfecit.

In Tertio Nocturno, Homil. S. Ambrosij Epis. in Evang. Homo quidam nobi-

nobilis. *habetur in Festo S. Ludovici Regis Francorum, cum Responsorijs ibidem positis. folio 140.*

DOMINICA DIE
infra Octavam Nativitatis B.M.V.
Festum SSmi Nominis B. MARIÆ Virginis. Duplex majus.

Ad Vesperas Antiph. Dum esset Rex. *cum reliquis Antiph. & Psalm. ut in Officio Parvo B.M.V.*

Capitulum. Ab initio. &c.
Hymnus. Ave maris stella.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Antiph. Sancta MARIA succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumq; celebrant tui sancti nominis commemorationem.

ORATIO.

CONcede, quæsumus, omnipotens DEUS, ut fideles tui qui sub sanctissimæ Virginis MARIÆ Nomine, & protectione lætantur: ejus pia intercessione, à cunctis malis liberentur in terris, & ad gaudia æterna pervenire mereantur in cælis. Per Dominum, &c.

Ad Matutinum. Invitatorium.
Sancta MARIA DEI Genitrix Virgo * Intercede pro nobis.
Psalmus. Venite exultemus.

HYMNUS.
Quem terra, pontus, &c.

Antiph. Psal. & ℣. Nocturnorum, ut in Officio Parvo B. MARIÆ.

In Primo Nocturno, Lectiones. De parabolis Salomonis. Ego sapientia, &c. *cum Responsorijs, ut in Festo S. MARIÆ ad Nives. 5. Mensis Augusti.*

In Secundo Nocturno.
Lectio IV.
Sermo Sancti Bernardi Abbatis.
Ex Homil. 2. supra Missus est, circa finem.

ET nomen, inquit, Virginis MARIA. Loquamur pauca & super hoc Nomine, quod interpretatum maris Stella dicitur, & Matri Virgini valdè convenienter aptatur. Ipsa namq; aptissimè sideri comparatur. Quia sicut sine sui corruptione sidus suũ emittit radium, sic absq; sui læsione Virgo parturivit Filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa Stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat; cujus splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara, & eximia Stella super hoc mare magnum, & spatiosum necessariò sublevata, micans meritis, illustrans exemplis.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio V.

O Quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare: Ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice Stellam, voca MARIAM. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice Stellam, voca MARIAM. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad MARIAM. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fæditate confusus, judicij horrore perterritus, barathrô incipias absorberi tristitiæ, desperationis abyssô, cogita MARIAM.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol, & formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circũdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Viderunt.

Lectio VI.

IN periculis, in angustijs, in rebus dubijs MARIAM cogita, MARIAM invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias; Ipsam rogans non desperas. Ipsam cogitans non erras; Ipsâ tenente non corruis; Ipsâ protegente non metuis; Ipsâ duce non fatigaris; Ipsâ propitiâ pervenis, & sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit: Et nomen Virginis MARIA.

Quod quidem venerabile Nomen, jam pridem in quibusdam Christiani Orbis partibus speciali ritu cultum, Innocentius Undecimus Romanus Pontifex, ob insignem victoriam sub ejusdem Virginis MARIÆ præsidio de immanissimo Turcarum Tyranno cervicibus populi Christiani insultante Viennæ in Austria partam, & in perenne tanti beneficij monumentum, in Ecclesia universali singulis annis Dominicâ infra Octavam Nativitatis Beatæ Virginis MARIÆ celebrari præcipit.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit * Et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt dicentes * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

In

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelij secundùm Lucam.

Lectio VII. Cap. 1. c

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à DEO in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis MARIA.

Homilia S. Petri Chrysologi.

Serm. 142. de Annuntiat.

AUdistis hodie, fratres charissimi, Angelum cum muliere de hominis reparatione tractãtem. Audistis agi, ut homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortẽ, rediret ad vitã. Agit, agit cum MARIA Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina. Audistis Angelum de carnis nostræ limo Templum Divinæ Majestatis arte ineffabili construentem. Audistis in terris DEUM, in cælis hominem sacramentô incomprehensibilî collocari. Audistis inaudita ratione in uno corpore DEUM, hominemq; misceri. Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam Angelica exhortatione roborari.

℟. Fælix namq; es sacra Virgo MARIA, & omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: Sentiant omnes tuum juvamen, quicumq; celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia ex te.

Lectio VIII.

DEniq; nè tanto ponderi cælestis fabricæ in MARIA subtilis nostri corporis arena succumberet, & in Virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli mox præcessit, dicens: Nè timeas MARIA. Ante causam dignitas Virginis annunciatur ex nomine; Nam MARIA hebræo sermone latinè Domina nuncupatur: Vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetravit, auctoritas. Nè timeas MARIA, invenisti enim gratiam. Verum est, quia qui invenit gratiam nescit timere: Invenisti gratiam.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est: Et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus à progenie in progenies timẽtibus eum. Quia fecit. Gloria Patri. Quia.

Lectio IX. De Homil. Dominicæ occurr.

Si autem idem Festum, juxta rubricas Breviarij Romani transferendum sit; 9. Lectio sumatur eo anno ex Officio B. Mariæ in Sabbat. mensis Septembris.

Ad Laudes, & per Horas, Antiph. Dum esset Rex, &c. *cum reliquis, ùt in Officio S. Mariæ in Sabbato.*

Capitulum. Ab initio, &c.

Hymnus. O Gloriosa, &c.

℣. Diffusa est gratia in labijs tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus.

Beata es MARIA, quæ credidisti; perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino Alleluja.

Oratio. Cõcede quæsum*. *ut suprà.* *Deinde fit commem. Dominicæ occurr.*

Ad Horas Antiphonæ, Capitula, & Responsoria brevia, ut in Officio Beatæ Mariæ in Sabbato.

Oratio ut suprà. Concede, &c.

In 2dis Vesperis omnia ùt in 1mis.

Ad Magnif. Ant. Beatam me dicẽt omnes generationes, quia ancillam humilem respexit DEUS.

Oratio Cõcede *fol.145. Et fit cõm. Dñicæ.*

DIE XVII. SEPTEMBRIS.

In Festo Impressionis sacrorum Stigmatum in corpore B. Francisci. Semidupl.

Omnia dicuntur de Communi Confessoris non Pontificis, exceptis ijs, quæ hìc propria ponuntur.

Ad Vesperas, Capitulum. Eccle. 31. Beatus vir. *ex Comm. Conf. non Pont.*

HYMNUS.

ISte Confessor Domini, colentes
Quem piè laudãt populi per orbẽ,
Hac die lætus meruit beata
Vulnera Christi.

Qui pius, &c. *usq; ad finem Hymni de Communi Confess.*

In utrisq; Vesperis. ℣. Signasti, Domine, servum tuum Franciscum.

℟. Signis redemptionis nostræ.

ORATIO.

DOmine JESU CHRISTE, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Francisci Passionis tuæ sacra Stigmata renovasti: concede propitius; ut ejus meritis & precibus crucem jugiter feramus, & dignos fructus pænitentiæ faciamus. Qui vivis & regnas.

In Primo Nocturno.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Galatas.

Lectio I. Cap. 5. & 6.

SI spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes. Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, nè & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet unusquisqué, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. Unusquisqué enim onus suum portabit. Communicet autem is, qui catechizatur verbô, ei qui se catechizat in omnibus bonis. ℟. Euge serve.

Lectio II.

NOlite errare: DEUS non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu. Quicũque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tãtùm ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neq; enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi; ut in carne vestra glorientur.

℟. Justus germinabit.

Lectio III.

MIhi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim JESU neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed nova creatura. Et quicumq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israël DEI. De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini JESU in corpore meo porto. Gratia Domini nostri JESU Christi, cum spiritu vestro, fratres, Amen.

℟. Iste cognovit.

In Secundo Nocturno.

D. Bonaventura in Legenda S. Francisci. Cap. 13.

Lectio IV.

FIdelis revera famulus & minister Christi Franciscus, biennio antequam spiritum redderet cælo, cùm in loco excelso seorsum, qui mons Alverniæ dicitur, quadragenarium, ad honorem Archangeli Michaëlis, jejunium inchoasset: supernæ contemplationis dulcedine abundantiùs solito superfusus, ac cælestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cæpit immissionum cumulatiùs dona sentire. Dum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in DEUM, & affectus compassiva teneritudine in eum transformaretur, cui ex charitate nimia crucifigi complacuit: quodam manè, circa festum Exaltationnis sanctæ Crucis, in latere montis orans, vidit quasi speciem unius Seraphim, sex alas tam fulgidas quàm ignitas habentem, de cælorum sublimitate descendere: qui volatu celerrimo ad äëris locum viro DEI propinquum perveniens, non solùm alatus, sed & crucifixus apparuit: manus quidẽ & pedes habens extensos, & cruci affixos; alas verò sic mirô modô hinc inde dispositas, ut duas

supra

ſuprà caput erigeret, duas ad volandum extenderet, duabus verò reliquis totum corpus circumplectendo velaret. Hoc videns, vehementer obſtupuit, mixtumq; dolori gaudium mens ejus incurrit, dum & in gratioſo ejus aſpectu ſibi tam mirabiliter, quàm familiariter apparentis exceſſivam quãdam concipiebat lætitiam, & dira conſpecta crucis affixio ipſius animam compaſſivi doloris gladiô pertranſivit.

℟. Honeſtum fecit.

Lectio V.

INtellexit quidem illo docente interiùs, qui & apparebat exteriùs: quòd licèt paſſionis infirmitas cum immortalitate ſpiritus Seraphici nullatenus cõveniret; ideò tamen hujuſmodi viſio ſuis fuerat præſentata conſpectibus, ut amicus ipſe Chriſti prænoſceret, ſe non per martyrium carnis, ſed per incendium mentis totum in Chriſti JESU crucifixi expreſſam ſimilitudinem transformandum. Diſparens itaq; viſio, poſt arcanum ac familiare colloquium, mẽtem ipſius Seraphico interiùs inflammavit ardore: carnem verò Crucifixo conformi exteriùs inſignivit effigie, tamquam ſi ad ignis liquefactivam virtutem præambulam ſigillativa quædam eſſet impreſſio ſubſecuta. Statim namq; in manibus & pedibus ejus apparere cœperunt ſigna clavorum, ipſorum capitibus in inferiori parte manuum & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex adverſo. Dextrum quoq; latus, quaſi lanceâ transfixum, rubra cicatrice obductum erat; quod ſæpè ſangvinem ſacrum effundens, tunicam & femoralia reſpergebat.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

POſtquam igitur novus homo Franciſcus novô & ſtupendô miraculô claruit, cum ſingulari privilegilio retroactis ſæculis non conceſſo inſignitus apparuit; ſacris videlicèt Stigmatibus decoratus, deſcendit de monte ſecum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis, vel ligneis, manu figuratam artificis, ſed in carneis membris deſcriptam digitô DEI vivi. Quoniam ſacramentum Regis Seraphicus vir abſcondere bonum eſſe optimè norat, ſecreti Regalis conſcius, ſignacula illa ſacra pro viribus occultabat. Verùm quia DEI eſt ad gloriam ſuam magna revelare, quæ facit Dominus ipſe; qui ſignacula illa ſecretè impreſſerat, miracula quædam apertè per ipſa monſtravit, ut illorum occulta & mira vis Stigmatum, manifeſta pateret claritate ſignorum. Porrò rem admirabilem, ac tantoperè teſtatam, atq; in põtificijs diplomatibus præcipuis laudibus & favoribus exaltatam, Benedictus Papa Undecimus anniver-

ſaria ſolemnitate celebrari voluit; quam poſteà Paulus Quintus Pontifex Maximus, ut corda fidelium in Christi crucifixi accenderentur amorem, ad univerſam Eccleſiam propagavit.

℟. Iſte homo perfecit.

In Tertio Nocturno, Homil. S. Gregorij Papæ in Evangelium. Si quis vult poſt me venire. *ut in Comm. unius Mart. 2dô locô.*

℟ 7mum. Iſte eſt qui.

℟ 8vum. Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri JESU Chriſti: ✱ Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. ℣. Ego enim Stigmata Domini JESU in corpore meo porto. Per quem mihi. Gloria Patri. Per.

Hymnus ad Laudes.

JESU corona celſior,
Et veritas ſublimior,
Qui confitenti ſervulo
Reddis perenne præmium:
Da ſupplicanti cœtui,
Hujus rogatu, noxij
Remiſſionem criminis,
Rumpendo nexum vinculi.
Anni reverſo tempore
Dies refulſit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Chriſti recepit Stigmata.
Hic vana &c. *ut in Communi Conf. non Pontif.*

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

In Feſto S. Thomæ de Villanova Confeſſ. Pontificis. Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſ. Pontif. præter ea, quæ ſequuntur.

In Hymno mutatur 3tius ℣.

Ad Magnificat in utriſq; Veſperis, Antiph. Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Thomam Pontificem inſignis in pauperes miſericordiæ virtute decoràſti: quæſumus, ut ejus interceſſione in omnes, qui te deprecantur, divitias miſericordiæ tuæ benignus effundas. Per Dominum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

Si verò venerit in Quatuor Temporibus, tunc leguntur. Fidelis ſermo: *de Comm. Confeſſ. Pontif.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

THomas in oppido Fontiſplani Toletanæ Diœceſeôs in Hiſpania natus annô Domini milleſimô quadringenteſimô octogeſimô octavô, ab optimis Parentibus, ineunte vita pietatem, & ſingularem in pauperes miſericordiam accepit; cujus adhuc puer complura dedit exempla, ſed illud imprimis nobile; quòd, ut nudos operiret, proprijs veſtibus non ſemel ſeipſum exuit. Exactâ pueritiâ, Compluto, quò miſſus fuerat, ut alumnus in Collegio majori ſancti Ildephonſi literis operam daret, Patris obitu revocatus, univerſam hæreditatem egenis virgini-

ginibus alendis dicavit, eodemq; statim reversus est, & sacræ Theologiæ cursu confecto, adeò doctrinâ excelluit, ut in eadem Universitate Cathedram ascendere jussus, Philosophicas, Theologicasq; quæstiones mirabiliter explanaverit. Interim, assiduis precibus scientiam Sanctorum, & rectam vitæ morumq; normam à Domino vehementissimè postulans. Quare divino instinctu Eremitarum sancti Augustini amplexus est institutum. ℟. Inveni David.

Lectio V.

R^Eligionem professus, omnibus Religiosi hominis virtutibus & ornamentis excelluit; humilitate, patientia, continentiâ, sed ardentissima charitate summè conspicuus: inter varios, & assiduos labores, orationi, rerumq; divinarum meditationi invicto spiritu semper intentus. Prædicandi onus utpotè sanctimoniâ, & doctrinâ præstans subire jussus, cælesti aspirante gratia innumerabiles è vitiorum cœno in viam salutis eduxit. Regendis deinde fratribus admotus, prudentiam, æquitatem, & mansuetudinem pari sedulitate, ac severitate conjunxit; adeò, ut priscam sui Ordinis disciplinam multis in locis vel firmaverit, vel restituerit. ℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

GRanatensis Archiepiscopus designatus, mira humilitate, & constantiâ insigne munus rejecit. Verùm non multò pòst Valentinam Ecclesiam, Superiorum auctoritate coactus, gubernandam suscepit: quam annis fermè undecim ita rexit, ut sanctissimi, & vigilantissimi Pastoris partes expleverit. Cæterùm consueta vivendi ratione nihil admodùm immutata, inexplebili charitati multò magis indulsit, cùm amplos Ecclesiæ redditus in egenos dispersit: nè lectulô quidem sibi relictô; nam eum, in quo decumbebat, cùm in cælum evocaretur, ab eodem commodatum habuit, cui paulò antè eléèmosynæ locô donaverat. Obdormivit in Domino sextô Idus Septembris, annos natus octo & sexaginta. Servi sui sanctitatem adhuc viventis, & exinde post mortem, miraculis Deus testatam voluit; præsertim cùm horreum, frumentô pauperibus distributô penitùs vacuum repentè plenum inventum est: & cùm ad ejus sepulchrum puer mortuus revixit. Quibus alijsq; non paucis fulgentem signis, Alexander Septimus Pontifex Maximus, Sanctorum numero adscripsit, atq; ejus memoriam, quartô decimô Kalendas Octobris, celebrari mandavit. ℟. Iste est.

In Tertio Nocturno, Homil. S. Gregorij Papæ in Evang. Homo peregrè proficiscens. *ut in Cõmuni Conf. Pont.*

Si venerit hoc Festum in Quatuor Tempor.

por. 9. Lectio dicitur de Homil. Feria occurr. cum commem. ad Laudes tantùm.

Antiphona ad Benedictus. Eleëmosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

DIE XX. SEPTEMBRIS.

In Festo SS. Eustachij & Sociorum Martyr. Duplex.

ORATIO.

DEUS, qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum, Eustachij & Sociorum ejus, natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

Et fit commem. SS. Ianuarij & Sociorum.

Si hoc Festum venerit in Quat. Temp. Lect. Primi Noct. Fratres debitores sumus. *de Comm. plurimorum Mart. Et Lect. 9. legitur de Homilia Feria occurr. cum ejus comm. in Laud. tantùm: & de Vigilia nihil fit nisi in Missa.*

Si non venerit in Quat. Temp. Lect. Primi Noct. de Script. occurr. & 9. Lectio erit de Vigilia S. Matthæi cum comm. in Laud.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

EUstachius, qui & Placidus, genere, opibus, & militari gloria inter Romanos insignis, sub Trajano Imperatore Magistri militum titulum meruit: cùm verò sese aliquando in venatione exerceret, ac fugientem miræ magnitudinis cervum insequeretur, vidit repentè inter consistentis feræ cornua excelsam atq; fulgentem Christi Domini è cruce pendentis imaginem; cujus voce ad immortalis vitæ prædam invitatus, unà cum uxore Theopista, ac duobus parvulis filijs, Agapito & Theopisto, Christianæ militiæ nomen dedit.

℟. Sancti tuï.

Lectio V.

MOx ad visionis pristinæ locũ, sicut ei Dominus præceperat, regressus, illum prænuntiantem audivit, quanta sibi deinceps pro ejus gloria perferenda essent. Quocirca incredibiles calamitates mirâ patientiâ perpessus, brevî in summã egestatem redactus est. Cumq; clam se subducere cogeretur, in itinere conjugem primùm, deinde etiam liberos sibi miserabiliter ereptos ingemuit. Tantîs obvolutus ærumnîs, in regione longinqua villicum agens, longo tempore delituit; donec cælesti voce recreatus, ac nova occasione à Trajano conquisitus, iterum bello præficitur.

℟. Verbera carnificum.

Lectio VI.

ILla in expeditione, liberis simul cum uxore insperatò receptis, victor Urbem ingenti omnium gratulatione ingreditur. Sed paulò pôst inanibus dijs pro parta victoria sacrificare jussus, constantissimè renuit. Cumq; varijs artibus ad Christi fidem ejurandam frustrà tentaretur,

retur, unà cum uxore & liberis leonibus objicitur: horum mansuetudine concitatus Imperator, æneum in taurum subjectis flammis candentem eos immitti jubet; ubi Divinis in laudibus consummatô Martyriô, duodecimô Calendas Octobris ad sempiternam felicitatem convolârunt: quorum illæsa corpora religiosè à fidelib9 sepulta, postmodùm ad Ecclesiam eorum nomine erectam honorificè translata sunt.

℟. Tamquam aurum.

In Tertio Nocturno, Homil. in Evang. Descendens JESUS. *de Comm. plurimorum Martyr. 2dô locô.*

℟ *vij.* Propter testamentum.

℟ *viij.* Sancti mei.

DIE XXIV. SEPTEMBRIS.

In Festo B.V.Mariæ de Mercede.

Duplex.

Omnia dicuntur, ut in Festo ad Nives 5. Augusti, præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui per gloriosissimam Filij tui Matrem ad liberandos Christi fideles à potestate Paganorum nova Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es, præsta quæsumus; ut quam piè veneramur tanti operis Institutricem, ejus pariter meritis, & intercessione à peccatis omnibus, & captivitate dæmonis liberemur. Per eundem Dominum.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

QUo tempore major, feliciorq; Hispaniarum pars dirô Saracenorum opprimebatur jugô, innumeriq; fideles sub immani servitute, maximo cum periculo Christianæ fidei abjurandæ, amittendæq; salutis æternæ infeliciter detinebâtur: Beatissima cælorum Regina tot tantisq; benigniter occurrens malis, nimiam charitatem suam in ijs redimendis ostendit. Nam sancto Petro Nolasco pietate, & opibus florenti, qui sanctis vacâs meditationibus jugiter animô recogitabat, qua ratione tot Christianorum ærumnis sub Maurorum captivitate degentium succurri posset, ipsamet Beatissima Virgo serena fronte se conspiciendam dedit, & acceptissimum sibi, ac Unigenito suo Filiô fore dixit, si suum in honorem institueretur Ordo Religiosorum, quibus cura incumberet captivos è Turcarum tyrannide liberandi. Quâ cælesti visione, vir DEI recreatus, mirum est, quo charitatis ardore flagrare cæperit, hoc unum servans in corde suo, ut ipse, ac instituenda ab eo Religio maximam illam charitatem sedulò exercerent, ut quisq; animam suam poneret pro amicis, & proximis suis.

℟. Sicut cedrus.

Lectio V.

EA ipsa nocte eadem Virgo Sanctissima beato Raymundo de Pennafort, & Jacobo Aragoniæ Regi apparuit, idipsum de Religiosis instituendis admonens, suadensq;, ut opem pro constructione tanti operis ferrent. Petrus autem statim ad Raymundi pedes, qui ipsi erat à sacris Confessionibus advolans, ei rem omnem aperuit, quem etiam cælitùs instructum reperit, ejusq; directioni se humillimè subjecit. At superveniens Jacobus Rex, quam & ipse acceperat à Beatissima Virgine revelationem exequi statuit. Unde collatis inter se consilijs, & consentientibus animis in honorem ejusdem Virginis Matris Ordinem instituere aggressi sunt; sub invocatione Sanctæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum.

℟. Quæ est ista.

Lectio VI.

DIe igitur decima Augusti, anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, Rex idem Jacobus eam Institutionem, jam pridem ab ijsdem sanctis Viris conceptam exequi statuit. Sodalibus quarto voto adstrictis, manendi in pignus sub Paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit. Quibus Rex ipse arma sua Regia in pectore deferre concessit, & à Gregorio Nono illud tam præcellentis erga proximum charitatis Institutum, & Religionem confirmari curavit. Sed & ipse DEUS per Virginem Matrem incrementum dedit, ut talis Institutio celeriùs, ac feliciùs totum per orbem divulgaretur, sanctisq; Viris floruerit charitate, ac pietate insignibus, qui eleëmosynas à Christi fidelibus collectas in pretium redemptionis suorum proximorum expenderent, seq; ipsos interdum darent in redemptionem multorum. Ut autem tanti beneficij, & Institutionis debitæ DEO, & Virgini Matri referantur gratiæ, Sedes Apostolica hanc peculiarem festivitatem celebrari, & Officium recitari indulsit, cùm alia ferè innumera eidem Ordini privilegia pariter contulisset.

℟. Ornatam monilibus.

DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

In Festo B. Iosaphat Martyris, Archiepiscopi Polocensis. Duplex.

Omnia de Communi unius Martyr. præter Orationem sequentem.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEus, qui Beatum Josaphat palmâ Martyrij condecorando, Ecclesiæ Catholicæ novum apud te intercessorem providisti: quæsumus, ut ejus meritis & auxilio, à malis omnibus liberari, tuo nomini studiosiùs serviamus. Per Dominum.

In Primo Noct. Lect. de Script. occurr. In Secundo Noctur. Principes per-

persecuti sunt. *In Tertio Nocturno. Homilia in Evang.* Si quis vult post me venire.

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Venceslai Martyris.

Duplex majus.

ORATIO.

DEUS, qui Beati Venceslai nobilitatem in meliorem mutasti dignitatem, & eum per Martyrij palmam ad cælestem perduxisti gloriam: ejus precibus nos, quæsumus, ab omni adversitate libera, & æternæ beatitudinis concede perfrui gloriâ. Per Dominum.

Lectiones Primi Nocturni. Fratres debitores, *de Comm. plur. Mart.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

VEnceslaus Bohemiæ Dux, Uratislao Patre Christiano, Drahomira matre gentili natus, ab Avia Ludmilla, fæmina sanctissima piè educatus, omni virtutum genere insignis, summô studiô virginitatem per omnem vitam servavit illibatam. Mater per nefariam Ludmillæ necem Regni administrationem assecuta, impiè cum juniori filio Boleslao vivens, concitavit in se Procerum indignationem: quare tyrannici, & impij regiminis pertæsi, utriusq; excussô jugô, Venceslaum in urbe Pragensi Regem salutârunt.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

ILle Regnum pietate magis, quàm Imperio regens; orphanis, viduis, egenis tanta charitate subvenit, ut proprijs humeris aliquando ligna indigentibus noctu comportârit, pauperibus humandis frequenter adfuerit, captivos liberârit, carceribus detentos nocte intempesta visitârit, pecunijs, & consilio sæpissimè consolatus. Miti animo Princeps vehementer dolebat, quempiam, etsi reum morti adjudicari. Summa religione Sacerdotes veneratus, suis manibus triticum serebat, & vinum exprimebat, quibus in Missæ Sacrificio uterentur: nocte nudis pedibus super nivem, & glaciem circuibat Ecclesias, sanguinea & terram calefacientia, post se relinquens vestigia.

℟. Desiderium animæ.

Lectio VI.

ANgelos habuit sui corporis custodes: cùm enim ad singulare certamen adversùs Radislaum, Ducem Curimensem, eo fine accederet, ut suorum saluti prospiceret, visi sunt Angeli arma ministrâsse, & dixisse adversario: Nè ferias: Perterritus hostis, venerabundus procidens veniam exoravit. Cùm in Germaniam profectus esset Imperator, conspectis duobus Angelis, aurea Cruce ad se accedentem ornantibus, è solio prosiliens brachijs excepit, Re-

gijs

gijs insignibus decoravit, eiq; sancti Viti brachium donavit. Nihilominus impius frater, matre hortante, conviviô exceptum, & posteà in Ecclesia orantem, paratæ sibi mortis præscium, adhibitis sceleris comitibus, interfecit. Sanguis per parietes aspersus adhuc conspicitur: & DEO vindice matrem inhumanam terra absorbuit: interfectores varijs modis miserè perierunt.

℟. Stola jucunditatis.

In Tertio Nocturno, Homil. S. Gregorij Papæ in Evangel. Si quis vult. *ùt in Communi unius Mart.*

Vesp. de S. Michaële Archan. cum com. S. Venceslai.

DOMINICA I. OCTOBRIS.

Quæ incidit in Kalendas illius Mensis vel proximè sequitur, fit Officium Solemnitatis Rosarij B. MARIÆ Virg. Duplex majus.

Si in ea occurrat Festum I. vel. ij. Classis, tunc Festum Rosarij fiet in Dominica sequenti.

Ad Vesperas, Antiphona.

Dum esset Rex. *cum reliquis Antiphonis & Psalmis, ut in Officio Parvo B. MARIÆ.*

Capitulum. Ab initio. *Hymnus.* Ave maris stella.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat. Antiphona.

Sancta MARIA succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumq; celebrant tuam sanctam Solemnitatem.

ORATIO.

DEUS, cujus Unigenitus, per vitam, mortem, & Resurrectionem suam, nobis salutis æternæ præmia comparavit; concede quæsumus, ut hæc mysteria sanctissimô B. MARIÆ Virginis Rosariô recolentes, & imitemur, quod continent; & quod promittunt, assequamur. Per eumdem.

Et fit commemoratio Dominicæ currentis.

Ad Matut: Invitator. Sancta MARIA DEI Genitrix Virgo, ✱ Intercede pro nobis. *Psalmus.* Venite, exultemus. *Hymnus.* Quem terra. *Antiphonæ, & Psalmi Nocturnorum, ùt in Officio Parvo B. MARIÆ.*

In Primo Nocturno.

℣. Specie tua & pulchritudine tua.

℟. Intende, prosperè procede & regna.

Lectiones de Parabolis Salomonis. Ego Sapientia habito. *cum suis Responsorijs. ùt habet Breviarium in Festo S. MARIÆ ad Nives die 5ta August.*

In Secundo Nocturno.

℣. Adjuvabit eam DEUS vultu suo.

℟. DEUS

℟. DEUS in medio ejus, non commovebitur.

Lectio IV.

CUm Albigensium hæresis per Tolosatium regionem impiè grassaretur, atq; altiùs in dies radices ageret; S. Dominicus, qui nuper Prædicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut præstaret validiùs; auxilium B. Virginis, cujus dignitas illis erroribus impudentissimè petebatur: cuiqué datum est cunctas hæreses interimere in universo mundo, enixis precibus imploravit: à qua (ut memoriæ proditum est) cùm monitus esset, ut Rosarium populis prædicaret, velut singulare adversùs hæreses, ac vitia præsidium; mirum est, quanto mentis fervore, & quàm felici successu injunctum sibi munus sit executus. Est autem Rosarium certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum salutationum decades, oratione Dominica interjecta, distinguimus, & ad earum singulas totidem nostræ reparationis mysteria pia meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore pius hic orandi modus mirabiliter per S. Dominicum promulgari, augeriq; cœpit; quem ejusdem institutorem, authoremqué fuisse Summi Pontifices, Apostolicis literis, passim affirmarunt.

℟. Sicut cedrus, &c.

Lectio V.

INnumerabiles porrò fructus ex hac tam salutari institutione in Christianam Rempublicam dimanârunt, inter quos victoria illa meritò numeratur, quàm Sanctissimus Pontifex Pius Quintus, & ab eo inflammati Christiani Principes apud Echinadas Insulas de Turcarum tyranno potentissimo reportarunt. Nam, cùm illa ipsa die ea victoria relata sit, qua die sanctissimi Rosarij Sodalitates per universum orbem consuetas supplicationes peragerent, statutasqué preces de more funderent: ijs precibus haud immeritò refertur accepta. Quod quidem, cùm etiam Gregorius Decimus Tertius testatus esset; ut pro tam singulari beneficio B. Virgini sub appellatione Rosarij perennes gratiæ ubiq; terrarum haberentur; in Ecclesijs omnibus, in quibus altare Rosarij foret, primâ quaq; 8bris Dominicâ Officium ritu duplici majori perpetuò celebrandum indixit: alijq; Pontifices Rosarium recitantibus, ejusdemq; Rosarij Sodalitatibus indulgentias penè innumeras concessêre.

℟. Quæ est ista, &c.

Lectio VI.

NUper verò Clemens Undecimus animô reputans insignem pariter victoriam annô millesimô septingentesimô decimô sextô in Hungariæ Regno à Carolo Sexto

in

in Imperatorem Romanorum electo, de innumeris Turcarum copijs relatam, eo die contigisse, quo Festum Dedicationis S. MARIÆ ad Nives celebraretur, atq; eodem fermè tempore, quo SSmi Rosarij Confratres publicam, solemnemq; supplicationem in Alma Urbe ingenti populi concursu, magnaqué religione peragentes, fervidas ad DEUM preces pro Turcarum depressione funderent, ac potentem opem Deiparæ Virginis in auxiliū Christianorum humiliter implorarent; eam ob rem, victoriam illam, necnon liberatam paulò post eorūdem Turcarum obsidione Corcyrensem Insulam ejusdem B. Virginis patrocinio piè censuit adscribendam.

Quamobrem, ut hujus quoq; tam insignis beneficij perennis semper & memoria extaret, & gratia; SSmi Rosarij Festum eadem die, eodemq ritu celebrandum ad Ecclesiam universam extendit. Hæc autem omnia Benedictus XIII. in Breviario Romano novissimè apponi jussit. Sanctissimam erga DEI Genitricem cultu hoc eidem gratissimo jugiter veneremur, ut quæ toties Christi fidelibus, Rosarij precibus exorata, terrenos hostes profligare dedit, ac perdere, infernos pariter superare concedat.

℟. Ornatam monilibus.

In Tertio Nocturno.

℣. Elegit eam DEUS, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectiones de Homil. Venerabilis Beda Presbyt. in Evang. Loquente JESU. *cùm reliquis, ùt in suprà dicto Festo S. MARIÆ ad Nives. 5ta Augusti. Nona Lectio de Homil. Dñicæ current. dic. cum ejus comm. in Laud.*

In Secundis Vesp. Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit DEUS.

Et fit commemoratio Dominicæ.

DIE II. OCTOBRIS.

In Festo SS. Angelorū Custodum. Duplex.

Ad Vesperas, Antiph. Angelis suis. *cum reliqu. de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dominus. *cum reliquis, de Dominica, & locô ultimi Psalm.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Eccl. 23. d

ECce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi. Observa eum, & audi vocem ejus.

HYMNUS.

CUstodes hominum psallimus Angelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit
Cælestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.
Nā quòd corruerit proditor angel⁹,
Concessis meritò pulsus honoribus;
Ardens invidia, pellere nititur
Quos cælo DEUS advocat.
Huc custos igitur pervigil advola,
Avertens patria de tibi credita
Tam morbos animi, quā requiescere

Quid-

Quidquid non finit incolas.
Sanctæ sit Triadi laus pia jugiter,
Cujus perpetuo numine machina
Triplex hæc regitur, cujus in omnia
Regnat gloria sæcula. Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiūt salutis.

ORATIO.

DEUS, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere digneris: largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Regem Angelorum Dominum, ✱ Venite adoremus. *Psalm.* Venite. *Hymnus.* Custodes hominum. *ut suprà in Vesperis.*

In Primo Nocturno, Antiph.

Dominus DEUS cæli & terræ ipse mittet Angelum suum coram te. *Psalm.* Domine Dominus noster. *cum reliquis, ut in Festo Dedicationis S. Michaëlis Archang. habet Breviarium.*

Antiph. DEUS meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi. *Psalm.* In Domino confido.

Antiph. Bene ambuletis, & Dominus sit in itinere vestro, & Angelus ejus comitetur vobiscum. *Psalm.* Domine, quis habitabit. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

De libro Exodi.

Lectio I. Cap. 23. d

ECce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi. Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cùm peccaveris; & est nomē meum in illo. Quòd si audieris vocem ejus, & feceris omnia quæ loquor; inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedetq; te Angelus meus.

℟. Angelis suis DEUS mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis: ✱ In manibus portabunt te, nè umquam offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. In manibus.

Ex Zacharia Propheta.

Lectio ij. Cap. 1. b

FActum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filij Addo, Prophetam, dicens: Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erāt in profundo: & post eum equi rufi, varij, & albi. Et dixi: Quid sunt isti, Domine mi? & dixit ad

me.

me Angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi, quid sint hæc. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, & dixit: Isti sunt quos misit Dominus, ut perambulent terram. Et responderũt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulavimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & quiescit.

℟. Respondit Angelus Domini, & dixit, Domine exercituum, * Usquequò tu non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es? ℣. Iste enim septuagesimus annus est. Usquequò.

Lectio III. Cap. 2.

ET levavi oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu ejus funiculus mensorum. Et dixi: Quò tu vadis? Et dixit ad me: Ut metiar Jerusalem, & videam quanta sit latitudo ejus, & quanta longitudo ejus. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum ejus. Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absq; muro habitabitur Jerusalem præ multitudine hominum, & jumentorum in medio ejus. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio ejus.

℟. In conspectu gentium nolite timere: vos enim in cordibus vestris adorate, & timete Dominum: * Angelus enim ejus vobiscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Angelus enim. Gloria Patri. Angelus enim.

In Secundo Nocturno, Antiph.

Cùm essem vobiscum, per voluntatem DEI eram: ipsum benedicite, & cantate ei. *Psalm.* Cæli enarrant.

Antiphona. Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israël, abijt post eos. *Psalm.* Domini est terra.

Antiphona. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eũ, & eripiet eos. *Psalm.* Benedicam Dominum in omni tempore. ℣. Ascendit fumus aromatum in cõspectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In Psalmum. Qui habitat.

Lectio IV.

ANgelis suis mandavit de te. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandavit? studiosè consideremus, fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cujus sunt Angeli? cujus mandatis obtemperant? cujus obediunt voluntati? Nempè Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo

 Ma-

Majestas mandavit Angelis, & Angelis suis mandavit. Illis utiq; sublimibus, tam beatis, quàm proximis sibi cohærentibus, & verè domesticis mandavit de te. Tu quis es? Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam reputas eum? Quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis. Sed quid putas mandavit de te? ut custodiant te.

℟. Vivit ipse Dominus, * Quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem. ℣. Et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari. Quoniã.

Lectio V.

QUantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, ut videlicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus vijs tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes? An præsentem esse dubitas, quem non vides? Quid si audires? quid si tangeres? quid si olfaceres? Vide, quia non solo, visu rerum præsentia cõprobetur.

℟. Angelus Domini descendit cum Azaria & socijs ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace: * Et non tetigit eos omnino ignis, neq; contristavit. ℣. Benedictus DEUS eorum, qui misit Angelum suum, & eruit servos suos, qui crediderunt in eum. Et non tetigit.

Lectio VI.

IN ipso itaq; fratres, affectuosè diligamus Angelos ejus, tanquam futuros aliquandò cohæredes nostros, interim verò actores & tutores à Patre positos, & præpositos nobis. Quid sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minùs autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus vijs nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt; quid trepidamus? Tantùm sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione DEI cæli commoremur. Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione: inclama eum, & dic: Domine salva nos, perimus.

℟. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, * Et Angelus faciei ejus salvavit eos. ℣. In dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos, cunctis diebus sæculi. Et Angelus. Gloria Patri. Et Angelus.

In-

In Tertio Nocturno. Antiphona.

Misit Dominus Angelum suum, qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem, & principem exercitus regis Assyriorum. *Psalm.* Cantate Domino canticum novũ: * cantate Domino.

Antiphona. Adorate Dominum omnes Angeli ejus: audivit, & lætata est Sion. *Psalm.* Dominus regnavit, exultet.

Antiphona. Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. *Psalm.* Benedic anima mea Domino: * & omnia quæ intrà me.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi DEUS meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lectio S. Evangelij secundùm Matthæum.

Lectio VII. Cap. 18.

IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad JESUM, dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Episcopi.

Comment: in Matth: Can: 18. post initium.

NOn nisi reversos in naturam puerorum introire regnum cælorum Dominus docet: id est, per simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum animæq; revocanda. Pueros autem, credentes omnes per audientiæ fidem nuncupavit. Hi enim patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt: non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. Revertendum igitur est ad simplicitatem infantium: quia in ea collocati, speciem humilitatis Dominicæ circumferemus.

℟. Machabæus, & qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia: * Cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israël. ℣. Cùm pariter promptô animô procederet Jerosolymis, apparuit præcedens eos eques in veste candida. Cùm fletu. *Benedictio.* Quorum festum colimus.

Lectio VIII.

VÆ huic mundo ab scandalis. Humilitas passionis scandalum mundo est. In hoc enim maximè ignorantia detinetur humana, quòd sub deformitate crucis, æternæ gloriæ Dominum noluit accipere. Et quid mundo tam periculosum, quàm non recepisse CHRISTUM? Ideò verò necesse esse ait venire scandala: quia ad sacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo passionis humilitas esset explenda.

℟. Tu Domine qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Juda, & interfecisti de castris Sen-

cherib centum octoginta quinque millia: * Et nunc Dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachij tui. ℣. Ut metuant, qui cum blasphemia veniunt adversùs sanctum populũ tuum. Et nunc. Gloria. Et nunc.

Lectio IX.

VIdete ne contemnatis unum de pusillis istis, qui credunt in me. Aptissimum vinculum mutui amoris imposuit, ad eos præcipuè, qui verè in Domino credidissent. Pusillorum enim Angeli quotidie DEUM vident; quia Filius hominis venit salvare quæ perdita sunt. Ergò & Filius hominis salvat, & DEUM Angeli vident, & Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus. Præesse Angelos, absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergò periculosè ille cõtemnitur, cujus desideria & postulationes ad æternum & invisibilẽ DEUM, ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio, pervehuntur. Te DEUM laudamus.

Ad Laudes, & per Horas, Antiph.

ANgelis suis DEUS mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis. *Psalm.* Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica ex Breviario.*

Antiphona. Laudemus Dominum, quem laudant Angeli, quem Cherubim & Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclamant.

Antiphona. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cælis.

Antiphona. Benedictus DEUS, qui misit Angelum suum, & eruit servos suos, qui crediderunt in eum.

Antiphona. Laudate DEUM omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.

Capitulum. Exodi 23. d

Ecce ego mittam. *ut suprà.*

HYMNUS.

ÆTerne Rector siderum,
Qui, quidquid est, potentiâ
Magnâ creasti, nec regis
Minore providentia:
Adesto supplicantium
Tibi reorum cœtui:
Lucisqué sub crepusculum
Lucem novam da mentibus.
Tuusqué nobis Angelus,
Electus ad custodiam,
Hic adsit; à contagio
Ut criminum nos protegat.
Nobis draconis æmuli
Versutias exterminet;
Ne rete fraudulentiæ
Incauta nectat pectora.
Metum repellat hostium
Nostris procul de finibus:
Pacem procuret civium,
Fugetqué pestilentiam.
DEO Patri sit gloria,
Qui, quos redemit Filius;

Et

Et sanctus unxit Spiritus,
Per Angelos custodiat. Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi DEUS meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Benedictus. Antiphona.

Reversus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitavit me, quasi virum, qui suscitatur à somno suo. *Oratio ùt suprà.*

Ad Tertiam, Antiphona. Laudemus Dominum.

Capitulum. Ecce ego mittam Angelum. *ùt suprà.*

℟ *breve.* Stetit Angelus, ✱ Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta. Gloria. Stetit.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli.

Ad Sextam, Antiphona. Angeli eorum.

Capitulum. Exodi 23. d

NEc contemnẽdum putes: quia non dimittet cùm peccaveris, & est nomen meum in illo.

℟ *breve.* Ascendit fumus aromatum, ✱ In conspectu Domini. Ascendit. ℣. De manu Angeli. In conspectu. Gloria. Ascendit.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi DEUS meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Nonam, Antiph. Laudate Deum.

Capitulum. Exodi 23. e

QUòd si audieris vocem ejus, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedetq; te Angelus meus.

℟ *breve.* In conspectu Angelorum, ✱ Psallam tibi DEUS meo. In conspectu. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Psallam tibi Gloria. In conspectu. ℣. Adorate Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

In Secundis Vesperis, Antiph. Angelis suis. *cum reliquis de Laudibus.*

Psalmus. Dixit Dominus. *cum reliquis de Dominica. & locô ultimi. Psalmus.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo: ✱ quoniam audisti.

Capitulum, Hymnus. & ℣. *ùt suprà in primis Vesperis.*

Ad Magnificat, Antiphona.

Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Oratio ùt suprà.

DIE VI. OCTOBRIS.

In Festo S. Brunonis Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

SAncti Brunonis Confessoris tui, quæsumus Domine, intercessionibus adjuvemur: ut qui majestatem tuam graviter delinquendo offendimus, ejus meritis & precibus

cibus nostrorum delictorum veniam consequamur. Per Dominum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

BRuno Carthusianæ Religionis institutor, Coloniæ Agrippinæ natus est. Ab ipsis incunabulis specimen futuræ sanctitatis præferens, morum gravitate, puerilia illius ætatis, divina favente gratia, declinans, adeò excelluit; ut jam inde Monachorum Pater, vitæq; anachoreticæ futurus instaurator agnosceretur. A parentibus genere ac virtute claris, Lutetiam Parisiorum missus, tantum ibi in Philosophiæ ac Theologiæ studijs profecit, ut Doctoris ac Magistri munus in utraq; facultate sit adeptus; nec multò pòst, ob egregias ipsius virtutes, Ecclesiæ Rhemensis Canonicatu potitus.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

ELapsis aliquot annis, cum sex alijs familiaribus mundo renuntians, sanctum Hugonem Episcopum Gratianopolitanum adijt. Qui causâ eorum adventûs cognitâ, eosdemq; intelligens esse, quos eadem nocte, veluti septem stellas ad suos pedes corruentes in somnis viderat, montes suæ Diœcesis asperrimos, quos Carthusianos appellant, illis concessit. Illuc Bruno cum socijs, ipso Hugone comitante secedens, cùm per aliquot annos eremiticam vitam egisset, ab Urbano Secundo, qui ejusdem Brunonis discipulus fuerat, Romam accersitur. Ejus consilijs ac doctrina Pontifex, in tot illis Ecclesiæ calamitatibus, per aliquot annos usus est, donec Bruno, recusato Rhegiensi Archiepiscopatu, discedendi facultatem obtinuit.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

IGitur solitudinis amore eremum quamdam apud Squillacum in Calabriæ finibus petijt. Quo in loco, cùm ipsum orantem Rogerius Comes Calabriæ inter venandum, latrantibus ad illius speluncam canibus, reperisset, sanctitate viri permotus, illum ac socios fovere, & colere impensè cæpit. Nec liberalitas sine præmio fuit. Cùm enim idem Rogerius Capuam obsideret, eumq; Sergius quidam excubiarum magister prodere statuisset, Bruno adhuc in dicta eremo vivens, insomnis illi omnia aperiens, ab imminenti periculo Comitem liberavit. Tandem virtutibus ac meritis plenus, nec sanctitate minùs quàm doctrinæ famâ clarus obdormivit in Domino, sepultusq; est in monasterio sancti Stephani ab ipso Rogerio constructo, ubi hactenus honorificè colitur.

℟. Iste homo perfecit.

In

In Tertio Nocturno. Homilia S. Gregorij Papæ in Evangelium. Sint lumbi vestri. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

DIE VIII. OCTOBRIS.

In Festo S. Birgittæ Viduæ. Duplex. Omnia de Communi Sanctarum nec Virginum, nec Martyrum, præter ea, quæ hic habentur.

ORATIO.

DOmine DEUS noster, qui Beatæ Birgittæ per Filium tuum unigenitum secreta cælestia revelâsti: ipsius pia intercessione da nobis famulis tuis, in revelatione sempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes. Per eumdem Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

BIrgitta in Suecia illustribus & pijs parentibus orta, sanctissimè vixit. Cùm adhuc in utero gestaretur, à naufragio propter eam Mater erepta est. Decennis post auditum de passione Domini sermonem, sequenti nocte JESUM in Cruce, recenti sanguine perfusum vidit, & de eadem passione secum loquentem; quo ex tempore in ejusdem meditatione ita afficiebatur, ut de ea sine lacrymis cogitare deinceps numquam posset. ℟. Propter veritatem.

Lectio V.

VLfoni Nericiæ Principi in matrimoniū tradita, virum ipsum ad pietatis officia, tum optimis exemplis, tum efficacibus verbis adhortata est. In filiorum educatione pijssima. Pauperibus, & maximè infirmis, domo ad id muneris dicata, inserviebat quàm diligentissimè, illorum pedes solita lavare, & osculari. Cùm autem unà cum viro suo rediret Compostellâ, ubi S. Jacobi Apostoli sepulchrum visitaverant, & Atrebati Ulfo graviter ægrotaret, sanctus Dionysius Birgittæ noctu apparuit, & de mariti salute, alijsq; de rebus, quæ futuræ erant, præmonuit. ℟. Dilexisti.

Lectio VI.

VIrô Cisterciensi monachô factô, & paulò pòst defunctô, Birgitta, audita Christi voce in somnis, arctiorem vitæ formam est aggressa. Cui deinde arcana multa fuerunt divinitus revelata. Monasterium Vastanense sub regula Sancti Salvatoris, ab ipso Domino accepta, instituit. Romam Dei jussu venit: ubi plurimos ad amorem divinum vehementer accendit. Inde Jerosolymam petijt, & iterùm Romam: qua ex peregrinatione cùm in febrim incidisset, gravibus per annum integrum afflictata morbis, cumulata meritis, prænuntiato mortis die, migravit in cælum. Corpus ejus ad Vastanen-

nense Monasterium translatum est; & miraculis illustrem Bonifacius Nonus in Sanctorum numerum retulit.

℞. Fallax gratia.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Evangelium. Simile est regnum cælorum thesauro. *de Cōmuni Sanctarum non Virginum.*

DIE X. OCTOBRIS.

Officium Gratiarum actionis pro Victoria ex Turcis, Annô 1621. eodem die obtenta. Duplex majus.

Ad Vesperas. Antiphona.

CAntemus Domino. *cum reliquis de Laud. Psalm.* Dixit Dominus. *cum reliq. de Dñica, & locô ultimi Psalm.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum, 2. Cor. 1.

BEnedictus DEUS & Pater Domini nostri JESU Christi, Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

H Y M N U S.

SUperne regum Rex bone,
Fons pacis & Victoriæ
DEUS Pater sperantium,
Ultor superbientium.
Ad jussa cujus turgidæ
Maris procellæ subsident:
Iras leones exuunt,
Sol stat stupens, nec se movēs.
Quo fulgurante desuper
Gentes feroces expavent
Hostes tremunt, mali fremunt,
Boni triumphant gaudiô.
Tu barbaros Osmanicos
Apros, fugas è vinea,
Poloniæ Regnum tuæ
A clade dira vindicans.
Ergo tuo celsissimo
Sit nomini laus, gloria,
Qui Trinus ac unus DEUS,
Per sæcla vivis omnia. Amen.

℣. Sancti per fidem fortes facti sunt in bello.

℞. Castra verterunt exterorum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Benedictus Dominus DEus noster, qui docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellū.

O R A T I O.

DEUS, qui in summis Regni nostri periculis antiqua brachij tui miracula renovasti; suscipe gratiarum actiones exultantium populorum: & quibus tanti gaudij causam præstitisti, perpetuæ fructum concede lætitiæ. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Regem qui redimit de interitu vitam: ✠ Venite adoremus. *Psalmus.* Venite exultemus.

Hymnus. Superne regum. *ut suprà in primis Vesperis.*

In Primo Nocturno, Antiphona.

Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. *Psalm.* Domine DEus noster. *cum reliquis, ut in Festo SSS. Trinitatis.*

Antiphona. Dignus es Domine

ne accipere gloriam, honorem, & virtutem. *Psalm.* Cæli enarrant.

Antiphona. Tua est Domine, magnificentia, & potentia, & gloria atq; victoria. *Psalm.* Domini est terra.

℣. Benedic anima mea Dño.

℟. Et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.

De libro secundo Machabæorum.

Lectio I.º Cap. 15.

ET Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Juda. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à DEO affuturum: & hortabatur suos, nè formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cælo, & nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. Et allocutus eos de Lege & Prophetis, admonens etiam certamina quæ fecerāt priùs, prōmptiores constituit eos: & ita animis eorum erectis, simul ostendebat Gentium fallaciam, & juramentorum prævaricationem. Singulos autem illorum armavit, non clypei & hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus. Exhortati itaq; Judæ sermonibus bonis valdè, de quibus extolli posset impetus, & animi juvenum confortari, statuerunt dimicare, & confligere fortiter, ut virtus de negotijs judicaret.

℟. Facile est cōcludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu DEI cæli: * Liberare, in multis & in paucis. ℣. Non in multitudine exercitûs victoria belli, sed de cælo fortitudo est. Liberare.

Lectio II.

ET cùm jam omnes sperarent judicium futurum, hostesq; adessent, atq; exercitus esset ordinatus, bestiæ equitesq; opportuno in loco compositi, cōsiderans Machabæus adventum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundùm armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Dixit autem invocans hôc modô: Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Juda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinq; millia, & nunc Dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachij tui, ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversùs sanctū populum tuum. ℟. Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui? Magnificus in sanctitate: * Terribilis atq; laudabilis, & faciens mirabilia. ℣. Dux fuisti in misericordia populo, quem redemisti. Terribilis.

Lectio III.

NIcanor autem & qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admovebant. Judas verò & qui cum eo erant, invocatô DEÔ per orationes, congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia DEI magnificè delectati. Cùmq; cessassent, & cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. Facto itaq; clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. Itaq; omnes communî consiliô decreverunt, nullô modô diem istum absq; celebritate præterire. ℟. Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum. * Et mittebant coronas suas ante thronum. ℣. Dignus es Domine DEUS noster accipere gloriam, honorem, & virtutem. Et mittebant. Gloria. Et mittebant.

In Secundo Nocturno. Antiphona.

ADonai Domine, magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest. *Psalm.* Omnes Gentes plaudite.

Antiphona. Non in multitudine exercitûs victoria belli, sed de cælo fortitudo est. *Psalm.* Magnus Dominus.

Antiphona. Vir obediens loquetur victoriam. Vir impius procacitèr obfirmat vultum suum. *Psalm.* DEUS judicium tuum.

℣. Iste DEUS meus & glorificabo eum.

℟. DEUS Patris mei, & exaltabo eum.

Lectio IV.

SIgismundo III. Rege, Osmanus Turcarum tyrannus immensis ex Europa, Asia, Africa contractis copijs, Tartarorum etiam Principe, qui longè majorem justô ducebat exercitum, in belli societatem accito, Reipubl: Christianæ vastitatem atq; excidium minitans, in Poloniam movit. Tanti adventantis hostis famâ minimè consternatus Sigismundus, cùm sciret, non in multitudine exercitûs victoriam, sed de cælo esse fortitudinem ope Divina simpliciter implorata, DEI Genitrice Regniq; Patronis conciliatis, fortiter constanterq; bellum suscepit. ℟. Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo: * Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum. ℣. Dabit te Dominus in manu mea & percutiam te, & auferam caput tuum. Ego autem.

Lectio V.

PRæmissus ad fines Poloniæ non maximô numerô exercitus, qui hostem sustineret, dùm Sigismundus omnem Regni nobilitatem trahens adveniret. Castra in hostili ditione ad Chocimum posita, ut bellum potiùs inferre, quàm illa-

illatum repellere Poloni viderentur. Decies & quidem comite semper victoria, acie pugnatum; toties à castrorum oppugnatione ingenti cum clade rejectus hostis, toties erupêre nostri feliciter. Turcarum stationes prosperè toties incursavêre, ut Dominum exercituum à nobis stare apertissimè pateret. ℟. Persequebatur unus mille, ✱ Et duo fugabant decem millia. ℣. Nonne ideò quia DEUS suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos? Et duo fugabant.

Lectio VI.

FRactâ tandem tot cladibus inflictis Olmani contumaciâ, cùm se frustra adversùs DEUM pugnare intellexisset, ad ipsos Poloniæ fines, eodem in loco mensem integrum, eoq; amplius hæsisset inglorius, sexaginta militum millia cæsa desideraret, majorem longè numerum belli incommoda absumpsissent, stratos suorum cadaveribus undiq; campos cerneret, ipse jam Sigismundus cum Poloniæ flore majoribus copijs immineret, qui bellum intulerat, pacem expetijt: acceptisq; conditionibus sextô Idus Octobris prior castra movit, ex appetita armis Polonia nihil omninò præter ignominiam & dedecus reportaturus. Is dies, in tanti beneficij memoriam, ut DEO sacer, festusq; Poloniæ ac solemnis perpetuò in posterùm foret, Sigismundus ipse Rex Regniq; Antistites à Gregorio XV. impetravêre. Mox Uladislao, qui Parenti successerat & in castris belli tempore fuerat, ut proprio ac peculiari officio ad gratias agendas accomodato horas Canonicas eodem die persolveret Urbanus Octav' indulsit. ℟. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine. ✱ Dextera tua Domine percussit inimicum. ℣. In multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos. Dextera tua. Gloria Patri. Dextera tua.

In Tertio Nocturno, Antiphona.

ÆDificavit Moyses altare; & vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea. *Psalm.* Cantate Domino canticũ novũ. ✱ cantate.

Antiphona. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. *Psalm.* Dominus regnavit.

Antiphona. Dominum formidabunt adversarij ejus, & super ipsos in cælis tonabit. *Psalm.* Cantate Domino canticum novum: ✱ quia.

℣. Benedic anima mea Domino. ℟. Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Homilia S. Gregorij Papæ in Evang.
Cum audieritis prælia. *ùt in Communi plurimor. Mart. imò locô.*

℟ *7mum.* Reddidit Dominus justis mercedem laborum suorum, & deduxit eos in via mirabili; ✱ Et fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem. ℣. Transtulit eos per mare Rubrum,

& transvexit eos per aquam nimiam. Et fuit.

℟. *Svum.* Justi tulerunt spolia impiorum, & decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum: * Et victricem manum tuam laudaverunt pariter. ℣. Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas. Et victricem. Gloria. Et victricem.

Ad Laudes & per Horas, Antiph. Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare. *Psalm.* Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica, ùt in Psalterio.*

Antiphona. Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua percussit inimicum.

Antiphona. Arcus fortinm superatus est, & infirmi accincti sunt robore.

Antiphona. Justi decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum & victricem manum tuam laudaverunt pariter.

Antiphona. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JESU meo.

Capitulum. 2. Corint. 1. Benedictus. *ùt suprà in Vesp.*

HYMNUS.

REx magne, Rex altissime,
Virtutis è throno tuæ
Æternitatem partiens,
Et regna mundi transferens.
Quàm sunt inaccessæ tui
Profunditates consilij!
Ut est procul cælum solò
Arcana sic procul tua.
Thrax en furoris ferrea
Qui virga Divini fuit
Nunc ipse pænas acriter
Jussu tuo, demens luit.
Sic corda, quando cæteris
Cædem superbè detonant
Cæduntur, & casu suo
DEI timorem prædicant.
Patri DEO sit gloria
Ejusq; soli Filio,
Cum Spiritu, qui perpeti
Mundum regit custodia. Amē.

℣. Non est similis tui in dijs Domine.
℟. Et non est secundùm opera tua.

Ad Benedictus Antiphona.

Benedicimus DEUM cæli, & coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiā suam. *Oratio, ùt suprà.*

Ad Tertiam, Capitulum. Cor: 1. Benedictus. *ùt suprà in Vesp.*

℟. Justi decantaverunt, Domine, * Nomen sanctum tuum. Justi.
℣. Victricem manum tuam laudaverunt pariter. Nomen. Gloria Patri. Justi.
℣. Adorabant sancti viventem in sæcula.
℟. Et mittebant coronas suas ante thronum DEI.

Ad Sextam, Capitulum. Sap. 12.

O Quàm bonus & suavis est, Domine, Spiritus tuus in omni-

mnibus! ideòq; eos qui exerrant, partibus corripis; & de quibus peccant, admones & alloqueris, ut relictâ malitia, credant in te Domine.

℟ *brev.* Adorabant Sancti, ✱ Viventem in sæcula. Adorabant.

℣. Et mittebant coronas suas ante thronum DEI. Vivĕtem. Gloria Patri. Adorabant.

℣. Dignus es, Domine DEUS noster.

℟. Accipere gloriam, honorem, & virtutem.

Ad Nonam, Capitulum. Sap. 12. c

TU autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cùm volueris posse.

℟ *brev.* Dignus es, ✱ Domine DEUS noster. Dignus. ℣. Accipere gloriam, honorem & virtutem. Domine. Gloria. Dignus.

℣. Ab insurgentibus in me exaltabis me.

℟. A viro iniquo eripies me.

In 2dis Vesp. omnia ùt in 1mis, exceptâ Antiphonâ ad Magnificat.

Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreveris salvare Israël.

Missa de SSS. Trinitate, in qua 2da Orat. pro Gratiarum actione, cum distincta Conclusione.

DIE XI. OCTOBRIS.

In Festo S. Francisci Borgiæ Confessoris. Semiduplex.

Locus proprius ex 10. præsentis.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ sequuntur.

In Hymno. Iste Confessor. *mutatur 3tius Versus.*

ORATIO.

DOmine JESU Christe, veræ humilitatis & exemplar, & præmium: quæsumus, ut sicut B. Franciscum in terreni honoris cõtemptu imitatorem tui gloriosum effecisti; ita nos ejusdem imitationis, & gloriæ tribuas esse consortes. Qui vivis, & regnas.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

FRanciscus Gandiæ Dux quartus Joanne Borgia, & Joannâ Aragoniâ Ferdinandi Catholici nepte genitus, post puerilem ætatem inter domesticos mirâ innocentiâ, & pietate transactam, in aula primùm Caroli V. Cæsaris, mox in Catalauniæ administratione admirabilior fuit Christianæ virtutis, & vitæ austerioris exemplis. Ad Granatense sepulchrum Isabellam Imperatricem cùm detulisset, in ejus vultu fædè commutato, mortalium omnium caducitatem relegens, voto se adstrinxit, rebus omnibus: cùm primùm liceret, abjectis, regum Regi unicè inserviendi. Inde tantum virtutis incrementum fecit, ut inter negotiorum turbas religiosæ perfectionis

simil-

simillimam imaginem referens, Miraculum Principum appellaretur. ℟. Honestum fecit.

Lectio V.

MOrtua Eleonora de Castro cōjuge, ingressus est Societatem JESU, ut in ea lateret securiùs, & præcluderet dignitatibus aditū, interposita voti Religione: dignus, quem & viri Principes complures in amplectendo severiori instituto fuerint secuti, & Carolus V. ipse in abdicando Imperio hortatorem sibi, aut ducem extitisse non diffiteretur. In eo arctioris vitæ studio Franciscus jejunijs, catenis ferreis, asperrimo cilicio, cruentis longisq; verberationibus, somno brevissimo, corpus ad extremam usq; maciem redegit; nullis prætereà parcens laboribus ad sui victoriam, & ad salutem animarum. Tot itaq; instructus virtutibus, à sancto Ignatio primùm Generalis Commissarius in Hispanijs, nec multò pòst Præpositus Generalis tertius à Societate universa, licèt invitus, eligitur. Quo in munere Principibus, ac Summis Pontificibus prudentiâ, ac morum sanctitate apprimè charus, præter complura vel condita, vel aucta ubiq; domicilia, Socios in Regnum Poloniæ, in insulas Oceani, in Mexicanam, & Pervanam Provincias invexit: missis quoq; in alias Regiones Apostolicis viris, qui prædicatione, sudoribus, sangvine, fidem Catholicam Romanam propagarunt. ℟. Amavit eum.

Lectio VI.

DE se ita demissè sentiebat, ut peccatoris nomen sibi proprium faceret. Romanam Purpuram à Summis Pontificibus sæpiùs oblatam, invictâ humilitatis constantiâ recusavit. Verrere sordes, emēdicare victum ostiatim, ægris ministrare in Nosocomijs, mundi, ac sui contemptor, in delicijs habuit. Singulis diebus multas continenter horas, frequenter octo, quandoq; decem dabat cælestium contemplationi. Centies quotidiè de genu DEUM adorabat. Nunquam à sacrificando abstinuit: probatq; sese divinus, quo æstuabat, ardor; ejus vultu sacram Hostiam offerentis, aut concionantis interdum radiante. Sanctissimum Christi Corpus in Eucharistia latens, ubi asservaretur, instinctu cælesti sentiebat. Cardinali Alexandrino, ad conjungendos contra Turcam Christianos Principes, Legato comes additus à sancto Pio V. arduum iter, fractis jam penè viribus, suscepit ex obedientia, in qua & vitæ cursum Romæ, ut optârat, feliciter consummavit, annô ætatis suæ sexagesimô secundô, salutis verò millesimô quingentesimô septuagesimô secundô. A sancta Teresia, quæ ejus utebatur consilijs, vir Sanctus, à Gregorio XIII. fidelis administer appellatus.

De-

Demùm à Clemente X. pluribus, magnisq; clarus miraculis, in Sanctorum numerum adscriptus.

℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno, Lectiones de Homilia S. Hieronymi Presb. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia. *ùt in Communi Abbatum.*

DIE XIII. OCTOBRIS.

In Festo S. Eduardi Regis Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confes. non Pontif. præter ea, quæ sequuntur.

In Hymno. Iste Confessor, *dicatur*: Meruit supremos Laudis honores.

ORATIO.

DEUS, qui B. Regem Eduardum Confessorem tuum æternitatis gloriâ coronâsti, fac nos, quæsumus, ita eum venerari in terris, ut cum eo regnare possimus in cælis. Per Dominum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

EDuardus, cognomentô Confessor, nepos S. Eduardi Regis & Martyris, Anglo-Saxonum Regum ultimus, (quem futurum Regem Brithualdo viro sanctissimo in mentis excessu Dominus demonstravit,) decennis, à Danis Angliam vastantibus quæsitus ad necem, exulare cogitur apud Avunculum Normanniæ Ducem, ubi in medijs vitiorum illecebris, talem se exhibuit integritate vitæ, morumq; innocentiâ, ut omnibus admirationi esset. Eluxit in eo vel tum, mira pietas in DEUM, ac res divinas, fuitq; ingeniô mitissimô, atq; ab omni dominandi cupiditate aliênô; cujus ea vox fertur: Malle se Regno carere, quod sine cæde & sanguine obtineri non possit.

℟. Honestum fecit illum.

Lectio V.

EXtinctis mox Tyrannis; qui fratribus suis vitam & Regnum eripuerant, revocatur in Patriam, ubi summis omnium votis, & gratulatione Regnô potitus, ad hostilium irarum delenda vestigia totum se convertit, à sacris exorsus, ac Divorum Templis, quorum alia à fundamentis erexit, alia refecit, auxitq; redditibus, ac privilegijs, in eam curam potissimùm intentus, ut refloresceret collapsa Religio. Ab aulæ proceribus compulsum ad nuptias, constans est assertio scriptorum, cum virgine sponsa virginitatem in matrimonio servâsse. Tantus in eo fuit in Christum amor, & fides, ut illum aliquando inter Missarum solemnia videre meruerit blando vultu, & divina luce fulgentem. Ob profusam charitatem, orphanorum, & egenorum pater passim dicebatur, numquam lætior, quàm cùm Regios thesauros exhausisset in pauperes.

℟. Amavit eum Dominus.

Lectio VI.

PRophetiæ donô illustris, de Angliæ futuro statu multa cælitùs prævidit, & illud in primis memorabile, quod Svveyni Danorum Regis in mare demersi mortem, dum Angliam invadendi animo classem conscenderet, eodem quo accidit momento, divinitùs intellexit. Joannem Evangelistam mirificè coluit, nihil cuiquam, quod ejus nomine peteretur, negare solitus. Cui olim sub lacera veste suo nomine stipem roganti, cùm nummi deessent, detractum ex digito annulum porrexit, quem Divus non ita multò pòst Eduardo remisit: unà cum nuntio secuturæ mortis. Quare Rex indictis pro se precibus, ipso ab Evangelista prædicto die, pijssimè obijt Nonis videlicèt Januarij, annô salutis millesimô sexagesimô sextô; quem sequenti sæculo, Alexander Papa Tertius, miraculis clarum, Sanctorum fastis adscripsit. At ejus memoriam Innocentius XI. Officiô publicô per universam Ecclesiam, eo die celebrari præcepit, quo annis ab obitu sex & triginta translatum ejus corpus incorruptum, & suavem spirans odorem, repertum est. ℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno. Homil. S. Gregorij Papæ in Evangelium. Sint lumbi vestri. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.*

DIE XVI. OCTOBRIS.

In Festo S. Teresiæ Virginis. Duplex.

Locus proprius ex hesterna die propter occurrentiam S. Heduigis P.R.P.

Omnia dicuntur de Communi Virginum, exceptis ijs quæ hìc propria ponuntur.

Ad Vesperas.

Capitulum. 2. Cor. 10.

FRatres, qui gloriatur. *de Communi Virg.*

HYMNUS.

REgis superni nuntia
Domum paternam deseris,
Terris Teresia barbaris
Christum datura, aut sanguinem;
Sed te manet suavior
Mors, pœna poscit dulcior:
Divini amoris cuspide
In vulnus icta concides.
O charitatis victima!
Tu corda nostra concrema;
Tibiq; gentes creditas
Averni ab igne libera.
Sit laus Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito,
Tibiq; sancta Trinitas,
Nunc, & per omne sæculum. A.

℣. Specie tua, &c.

Ad Magnif. Antiph. Veni Sponsa.

ORATIO.

EXaudi nos DEUS salutaris noster: ut sicut de Beatæ Teresiæ Virginis tuæ festivitate gaudemus: ita cælestis ejus doctrinæ pabulô nutriamur, & piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Ad Matutinum Invitatorium.

Regem virginum Dominum. * Venite adoremus. *Psalm.* Venite exultemus.

HYMNUS.

HÆc est dies, qua candidæ
Instar columbæ, Cælitum
Ad sacra templa spiritus
Se transtulit Teresiæ;
Sponsique voces audijt:
Veni Soror de vertice
Carmeli ad Agni nuptias:
Veni ad coronam gloriæ.
Te Sponse JESU Virginum
Beati adorent ordines,
Et nuptiali cantico
Laudent per omne sæculum. A.

Antiphonæ, Psalmi, ℣℣. & ℟℟. Nocturnorum de Communi Virginum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Epist. prima B. Pauli Apostoli ad Corinthios. De Virginibus, *ut in eodem Communi.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

TEresia virgo nata est Abulæ in Hispania, Parentibus tum genere, tum pietate præclaris. Ab ijs Divini timoris lacte educata, admirandum futuræ sanctitatis in tenerrima adhuc ætate specimen dedit. Nam cùm sanctorum Martyrum acta perlegeret, adeò in ejus meditatione sancti Spiritus ignis exarsit, ut domô aufugiens, in Africam traijceret, ubi vitam pro gloria JESU Christi & animarum salute profunderet. A patruo revocata, ardens martyrij desiderium elèèmosynis, alijsq; pijs operibus compensavit, jugibus lachrymis deplorans optimam sibi sortem fuisse præreptam. Mortua matre, cùm à Beatissima Virgine peteret, ut se Matrem esse monstraret, pij voti compos effecta est: semper perinde ac filia patrociniô Deiparæ perfruens. Vigesimum ætatis annum agens, ad Moniales Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo se contulit: ibi per duodeviginti annos gravissimis morbis & varijs tentationibus vexata, constantissimè meruit in castris Christianæ pænitentiæ nullô refecta pabulô cælestium earum consolationum, quibûs solet etiam in terris sanctitas abundare.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

ANgelicis ditata virtutibus, non modò propriam, sed publicam etiam salutem solicita charitate curavit. Quare severiorem veterum Carmelitarum regulam, DEO afflante, & Pio Quarto approbante, primùm mulieribus, deindè viris observandam proposuit. Effloruit in eo consilio omnipotens miserentis Domini benedictio: nam duo supra triginta Monasteria inops Virgo potuit ædificare, omnibus humanis destituta auxilijs, quinimò adversantibus plerumq; sæculi Principibus. Infidelium & hæreticorum tenebras perpetuis deflebat lacry-

lacrymis, atq; ad placandam divinæ ultionis iram voluntarios proprij corporis cruciatus DEO pro eorum salute dicabat. Tantò autem divini amoris incendiô cor ejus conflagravit, ut meritò viderit Angelum ignitô jaculô sibi præcordia transverberantem; & audierit Christum datâ dexterâ dicentem sibi: Deinceps ut vera Spõsa meum zelabis honorem. Eo consiliante, maximè arduum votũ emisit, efficiendi semper quidquid perfectiùs esse intelligeret. Multa cælestis sapientiæ documenta conscripsit, quibus fidelium mentes ad supernæ patriæ desiderium maximè excitantur.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

CUm autem assidua ederet exempla virtutum; tam anxiô castigandi corporis desideriô æstuabat, ut quamvìs secùs suaderent morbi, quibûs afflictabatur, corpus ciliciîs, catenîs, urticarum manipulis, aliisq; asperrimis flagellis sæpè cruciaret, & aliquando inter spinas volutaret, sic Deum alloqui solita: Domine aut pati, aut mori; se semper miserrima morte pereuntem existimans, quãdiu à cælesti æternæ vitæ fonte abesset. Prophetiæ donô excelluit, eamqué divinis charismatibus tam liberaliter locupletabat Dominus, ut sæpiùs exclamans peteret, beneficijs in se divinis modũ imponi, nec tam celeri oblivione culparum suarum memoriam aboleri. Intolerabilî igitur divini amoris incendiô potius, quàm vi morbi, Albæ cùm decumberet, prænuntiato suæ mortis die, Ecclesiasticis Sacramentis munita, alumnos ad pacem, charitatem, & regularem observantiam adhortata, sub columbæ specie purissimã animam DEO reddidit, annos nata sexaginta septem, annô millesimô quingentesimô octogesimô secundô, Idibûs Octobris, juxta Kalẽdarij Romani emendationem. Ei morienti adesse visus est inter Angelorum agmina Christus JESUS, & arbor arida cellæ proxima statim effloruit. Ejus corpus usqué ad hanc diem incorruptum, odorato liquore circumfusum, pia veneratione colitur. Miraculîs claruit ante & post obitum: eamq; Gregorius Decimusquintus in Sanctarum numerum retulit.

℟. Afferentur Regi.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Evangelium. Simile erit regnum cælorum decem Virginibus. *ùt in Communi Virginum.*

Ad Laudes Hymnus, ùt in primis Vesperis.

℣. Diffusa est.

Ad Benedictus Antiphona.

Simile est regnum cælorum homini. *Oratio. ùt suprà.*

Ad Secundas Vesperas, omnia ùt in primis Vesp. ℣. Diffusa est.

DIE

DIE XIX. OCTOBRIS.

In Festo S. Petri de Alcantara Confess. Duplex.

Omnia de Communi Confess. non Pontif. præter Orationem & Lectiones secundi Nocturni quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui B. Petrum Confessorem tuum admirabilis pænitentiæ, & altissimæ contemplationis munere illustrare dignatus es: da nobis quæsumus; ut ejus suffragantibus meritis carne mortificati, faciliùs cælestia capiamus. Per Dominum nostrum.

In Hymno ad Matutinum dicatur. Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

PEtrus Alcantaræ in Hispania nobilibûs Parentibûs natus, à teneris annis, futuræ sanctitatis indicia præbuit. Decimô sextô ætatis anno, Ordinem Minorum ingressus, se omnium virtutum exemplar exhibuit. Tùm munus Concionatoris ex obedientia exercens, innumeros à vitijs ad veram pænitentiam traduxit. Primævum S. Francisci institutum exactissimè reparare cupiens, ope divina fretus, & Apostolica munitus auctoritate, angustissimum & pauperrimum cænobium juxta Pedrosum fundavit; quod vitæ genus asperrimum ibi feliciter cæptum, per diversas Hispaniæ Provincias usq; ad Indias mirificè propagatum fuit. S. Teresiæ, cujus probaverat spiritum, in promovenda Carmelitarum reformatione adjutor fuit. Ipsa autem à DEO edocta, quòd Petri nomine nihil quisquam peteret, quin protinus exaudiretur, ejus precibus se commendare, & ipsum adhuc viventem Sanctum appellare consuevit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

PRincipum obsequia, qui ipsum velut oraculum consulebant, summa humilitate declinans, Carolo Quinto Imperatori à confessionibus esse recusavit. Paupertatis rigidissimus custos, unâ tunicâ, quâ nulla deterior esset, contentus erat. Puritatem ita coluit, ut à fratre in extremo morbo sibi inserviente, nec leviter quidem tangi passus sit. Corpus suum perpetuis vigilijs, jejunijs, flagellis, frigore, nuditate, atq; omni genere asperitatum in servitutem redegit, cum quo pactum injerat, nè ullam in hoc sæculo ei requiem præberet. Charitas DEI & proximi in ejus corde diffusa tantum quandoq; excitabat incendiũ, ut è cellæ angustijs in apertum campum prosilire, àërisq; refrigeriô conceptum ardorem temperare cogeretur.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

GRatia contemplationis admirabilis in eo fuit, quâ cùm assiduè spiritus reficeretur, interdum accidit, ut ab omni cibo & potu pluribûs diebûs abstinuerit. In àéra frequenter sublatus, miro fulgore coruscare visus est. Rapidos fluvios sicco pede trajecit. Fratres in extrema penuria, cælitùs delatâ alimoniâ, cibavit. Baculus ab ipso terræ defixus, mox in viridem ficulneam excrevit. Cùm noctu iter ageret densa nive cadente, dirutam domum sine tecto ingressus est, eiq; nix in àére pendula pro tecto fuit, nè illius copia suffocaretur. Donô prophetiæ, ac discretionis spirituum imbutum fuisse S. Teresia testatur. Deniq; annum agens sexagesimum tertium, horâ, quâ prædixerat, migravit ad Dominum, mirabili visione, Sanctorumq; præsentiâ confortatus. Quem eodem momento in cælum ferri beata Teresia procul distans vidit; cui posteà apparens dixit: O felix pænitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam! Post mortem verò plurimîs miraculîs claruit, & à Clemente Nono Sanctorum numero adscriptus est.

℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyt. in Evang. Nolite timere pusillus grex. *ùt in Comm. Conf. non Pont.*

DOMINICA IV. OCTOBRIS.

Festum B. Ioannis Cantij Confessoris celebratur sub ritu duplici.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis.

In Primo Nocturno.

Lect. ex Dominica currenti. donec aliter ab Vrbe decretum fuerit.

DIE IV. NOVEMBRIS.

In Festo S. Caroli Episcopi & Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pont. præter Orationem, & Lectiones quæ sequuntur.

ORATIO.

ECclesiam tuam, Domine, Sancti Caroli Confessoris tui atq; Pontificis continua protectione custodi; ut sicut illum Pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit; ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

CArolus Mediolani nobili Borromæorum familia natus, quanta futurus esset sanctitate conspicuus, divina lux super parientis Matris cubiculum noctu coruscās præsignavit. A pueritia clericali militiæ adscriptus, Abbatiâ postmodum insignitus, Patrem admonuit, nè redditus in rem familiarem converterentur; quorum ipse na-

nactus administrationem, quidquid supererat, expendebat in pauperes. Adolescens liberalibus disciplinis Papiæ operam dedit. Castitatem adeò coluit, ut impudicas etiam mulieres, ad labefactandam ejus pudicitiam pluries immissas, invictâ constantiâ fugaverit. Vigesimum tertium ætatis annum agens, à Pio Quarto ejus avunculo in sacrum Cardinalium Collegium cooptatus, insigni pietatis ac virtutum omnium splendore præluxit. Mox ab eodem Mediolanensis Archiepiscopus creatus, in eo plurimam operam adhibuit, ut juxta Sacrosanctum Tridentinum Concilium, quod ejus potissimùm solicitudine jam tum fuerat absolutum, Ecclesiam sibi commissam componeret: atq; ut depravatos plebis suæ mores reformaret, præter iteratam sæpiùs Synodorum celebrationem, seipsum eximiæ sanctitatis præbuit exemplar. In profligandis hæreticis è partibus Rhetorum & Helvetiorum, quorum plurimos ad Christianam fidem convertit, maximè laboravit.

℟. Inveni David.

Lectio V.

HUjus viri charitas præcipuè enituit, cùm Uritano Principatu vendito, pretium universum ad quadraginta aureorum millia, una die in pauperes erogavit. Nec minore pietate, viginti millia, quæ sibi fuerant legata, distribuit. Ecclesiasticos proventus, quibus ab avunculo copiosè fuerat cumulatus, dimisit; nonnullis retentis, quibûs ad proprios usus & egenorum necessitates utebatur. Quo tempore pestis Mediolani grassabatur, domesticam supellectilem, nè relictô sibi lectulô, in eosdem alendos contulit, super nuda in posterum tabula decumbens: eoq; morbo laborantes sedulò invisens, paterno reficiebat affectu; & Ecclesiæ Sacramenta proprijs ipse manibus administrans, mirum in modum solabatur: humillimis interim precibus reconciliator accedens; publica supplicatione indicta, fune sibi ad collum alligato, nudis pedibus etiam offendiculô cruentatis, crucem bajulans, semetipsum pro peccatis populi hostiam offerens, divinam indignationem avertere satagebat. Ecclesiasticæ libertatis fuit acerrimus propugnator. Disciplinæ verò restituendæ solicitus, à seditiosis, dum orationi insisteret, tormenti bellici laxatâ rotâ, igneô globulô percussus, divina virtute servatur illæsus.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

ABstinentia fuit admirabili: jejunabat sæpissimè, pane tantùm & aquâ, solîs quandoq; lupinîs contentus. Nocturnîs vigiliîs, asperrimô ciliciô, assiduîs flagellîs, corpus domabat. Humilitatis

tatis ac mansuetudinis studiosissimus fuit. Orationem, ac verbi DEI prædicationem, gravissimis licèt curis occupatus, numquam intermisit. Multas Ecclesias, Monasteria, Collegia ædificavit. Plura scripsit, ad Episcoporum præsertim instructionem utilissima: cujus etiam operâ, Parochorum Catechismus prodijt. Demum in solitudinem Varalli montis, ubi sculptis imaginibus Dominicæ passionis mysteria ad vivum repræsentantur, secessit; ibiq; diebus aliquot voluntaria castigatione asperam, sed Christi dolorum meditationibus suavem vitam ducens, in febrim incidit. Mediolanum reversus ingravescente morbo, cinere ac cilicio coopertus, & oculis in Crucifixi imaginem defixis, migravit in cælum, ætatis annô quadragesimô septimô, Domini verò millesimô quingentesimô octogesimô quartô, tertiô Nonas Novembris. Quem miraculis clarum Paulus Quintus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iste est.

In Tertio Nocturno, Homil. in Evang. Homo peregrè proficiscens. *ùt in Communi Confess. Pontif.*

DIE IX. NOVEMBRIS.

Dedicatio Basilicæ Salvatoris, Duplex.

Omnia dicuntur ùt in Breviario die eadem 9. Novembr. præter sequentia verba, quæ in Secundo Nocturno 6ta Lectioni addantur: videlicèt,

Eamdem Ecclesiam incendijs, vastationibus, terræ insuper motibus disjectam, eversamq; ac sedulâ Summorum Pontificum curâ reparatam, nova postmodùm molitione restitutam, Benedictus Decimo Tertius Pontifex Maximus, Ordinis Prædicatorum, die vigesima octava Aprilis, anni millesimi septingentesimi vigesimi sexti ritu solenni consecravit, ejusq; celebritatis memoriam hac die recolendam mandavit.

℟. Manè surgens Jacob.

DIE X. NOVEMBRIS.

In Festo S. Andreæ Avellini Clerici Regularis. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis primò locô, præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui in corde Beati Andreæ Confessoris tui, per arduum quotidie in virtutibus proficiendi votum, admirabiles ad te ascensiones disposuisti: concede nobis ipsius meritis, & intercessione, ita ejusdem gratiæ participes fieri, ut perfectiora semper exequentes, ad gloriæ tuæ fastigium feliciter perducamur. Per Dominum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno,

Lectio IV.

An-

ANdreas Avellinus, dictus antea Lancellottus, apud Castrū Novum Lucaniæ pagum natus, inter ipsa infantiæ primordia futuræ sanctitatis non obscura præbuit indicia. Adolescens ad literas addiscendas paterna è domo egressus, lubricam illius ætatis semitam inter bonorum artium studia ita peregit, ut sapientiæ initium, quod est timor Domini, ob oculos potissimùm habere nunquam prætermiserit. Cum egregia proindè forma eximium castitatis studium cōjunxit, quo impudicas sæpè mulierum insidias elusit, interdum etiam apertam vim propulsavit. Clericali militiæ jampridem adscriptus, Neapolim se contulit, ut legalibus disciplinis vacaret; ibiq; Juris prudentiæ lauream adeptus, atq; intereà ad Sacerdotalem dignitatem evectus, causarum patrocinia in foro dumtaxat Ecclesiastico, proq; privatis quibusdam personis, juxta sacrorum Canonum sanctiones agere cæpit. Verùm cùm aliquando inter causam agēdam leve ei mendacium excidisset, mox verò fortuita sacrarum Scripturarum lectione in illa verba incidisset: Os, quod mentitur, occidit animam, tanto ejus culpæ dolore, ac pænitentiâ correptus est, ut statim ab ejusmodi vitæ instituto sibi recedendum esse duxerit. Itaq; abdicatis forensibus curis, se totum divino cultui sacrisqué ministerijs, mancipavit; cumq; Ecclesiasticæ virtutis exemplis emineret, sanctimonialium regimini à tunc existente Archiepiscopo Neapolitano præfectus fuit. Quo in munere cùm pravorum hominum odia subijsset, primò quidem intentatæ sibi necis periculum declinavit, mox verò per sicarium tribus in facie acceptis vulneribus, injuriæ atrocitatem æquô animô pertulit. Tunc perfectioris vitæ desideriô flagrans, ut inter Clericos Regulares adscriberetur, suppliciter postulavit; votiq; compos factus, ob ingentem, quo æstuabat, Crucis amorem, ut sibi Andreæ nomen imponeretur, precibus impetravit.

℟. Honestum.

Lectio V.

ARctioris itaq; vitæ curriculum alacri studio ingressus, in eas maximè virtutis exercitationes incubuit, ad quas sese arduis etiam emissis votis obstrinxit, altero scilicèt suæ ipsius voluntati jugiter obsistendi, altero verò in via Christianæ perfectionis semper ulteriùs progrediendi. Regularis disciplinæ cultor assiduus, & in ea promovenda, cùm alijs præesset, studiosissimus fuit. Quidquid ab Instituti sui Officij & Regulæ præscripto supererat temporis, orationi & animarum saluti tribuebat. In Confessionibus excipiendis mira ejus pietas & prudentia enituit,

it, vicos & oppida Neapoli finitima Evangelicis ministerijs magno cum animarum lucro frequens lustrabat. Quam ardentem erga proximos sancti viri charitatem signis etiam Dominus illustravit. Cùm enim intempesta nocte ab audita ægri confessione domum rediret, ac pluviæ ventorumq; vis prælucentem facem extinxisset, non solùm ipse cum Socijs inter effusissimos imbres nihil madefactus est, verùm etiam inusitato splendore, è suo corpore mirabiliter emicante, Socijs inter densissimas tenebras iter monstravit. Abstinentiâ & patientiâ, nec non abjectione, atq; odiô sui summoperè præstitit. Necem fratris filio illatam imperturbatô animô tulit, ac suos ab omni ulciscendi cupiditate compescuit, imò etiam pro interfectoribus opem, & misericordiam Judicum imploravit.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

PLuribus in locis Clericorum Regularium Ordinem propagavit, eorumq; domicilia Mediolani, & Placentiæ instituit. Illius operam sanctus Carolus Borromæus, & Paulus de Aretio Clericus Regularis Cardinales, quibus erat acceptissimus, in Pastoralis muneris curis adhibuerunt. Deiparam Virginem singulari amore, & cultu prosequebatur. Angelorum colloquiô perfrui meruit, quos, cùm divinas laudes persolveret, è regione concinentes se audisse testatus est. Deniq; post heroica virtutum exempla, Prophetiæ quoq; donô illustris, quo & secreta cordium, & absentia, & futura prospexit, annis gravis, & laboribûs fractus, ad Aram celebraturus in verbis illis tertiò repetitis: Introibo ad Altare Dei, repentinò apoplexiæ morbô correptus est, mox Sacramentis ritè munitus, placidissimè inter suos animam efflavit. Ejus corpus Neapoli in Ecclesia S. Pauli ad hæc usq; tempora eò frequẽtissimo populi concursu colitur, quò fuit elatum. Illum denique insignibus in vita, & post mortem miraculis clarum Clemens XI. Põtifex Maximus solemni ritu Sanctorum catalogo adscripsit.

℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evangelium: Sint lumbi vestri. *ex Comm. Conf. non Pontif.*

DIE XIII. NOVEMBRIS.

In Festo S. Didaci Confessoris, Semiduplex.

Omnia de Communi Confess. non Pontificis: exceptis his, quæ hic habentur.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui dispositione mirabili infirma mundi eligis, ut fortia quæq; confundas: concede propitius humilitati nostræ; ut pijs B. Didaci Confessoris tui precibus ad perennem

nem in cælis gloriam sublimari mereamur. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

DIdacus Hispanus ex oppido S. Nicolai de Portu Diœcesis Hispalensis, ab ineunte ætate, pij sub Sacerdotis disciplina sanctioris vitæ, solitaria in Ecclesia tyrocinium exercuit. Deinde ut firmiùs DEO se conjungeret, in Conventu de Arizzasa Fratrum Minorum (quos Observantes vocant) sancti Francisci Regulam in statu laicali professus est. Magna ibi alacritate humilis obedientiæ, & regularis observantiæ jugum subiens, contemplationi in primis deditus, mira DEI luce perfundebatur, adeò; ut de rebus cælestibus literarum expers, mirandum in modum, & planè divinitùs loqueretur.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

CAnarijs in Insulis, ubi Fratribus sui Ordinis præfuit, multa perpessus, Martyrij æstuans desideriô, plures infideles verbô & exemplô ad Christi fidem convertit. Romam veniens annô Jubilæi; Nicolao Quinto Pontifice, ægrotorum curæ in Conventu Aræ cæli destinatus, eo charitatis affectu munus hoc exercuit, ut Urbe annonæ inopiâ laborante, ægrotis tamen, quorum aliquando ulcera etiam lambendo abstergebat, nihil penitùs necessarij defecerit. Eximia quoq; fides & gratia curationum in eo eluxit, cùm lampadis, quæ collucebat ante imaginem Beatissimæ DEI Genitricis, quam summa devotione colebat, oleô ægros inungens, signô Crucis impressô, multorum morbos mirabiliter sanaverit.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

DEmum Compluti finem sibi vitæ adesse intelligens, lacerâ & obsoletâ indutus tunicâ, conjectis in Crucem oculis, singulari devotione illis verbis ex sacro hymno pronuntiatis; Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ fuisti digna portare Regem cælorum, & Dominum; animam DEO reddidit, pridie Idus Novembris, annô Domini suprà millesimum quadringentesimô sexagesimô tertiô. Ejus corpus cùm menses non paucos (ut pio confluentium desiderio fieret satis) insepultum mansisset, quasi jam incorruptionem induerit, odorem suavissimum afflavit. Illum multìs, & illustribûs miraculis clarum Sixtus Quintus Pontifex Maximus Sanctorum numero adscripsit.

℟. Iste homo.

In Tertio Nocturno. Homilia Venerabilis Bedæ Presbyt. in Evangelium. Nolite timere pusillus grex. *ut in Communi Confess. non Pontificis.*

 DO-

DOMINICA

Cadenti in diem 13. Novembris, *vel* Proximâ diei ejusdem 13. Novembris.

Festum S. Stanislai Kostka Confess. Patroni Reg. Pol. Duplex 1ma Class. cum Octava.

Omnia de Communi Confes. non Pont. nisi aliter ab Urbe Sacra statutum fuerit.

SECUNDA DIE

Infra Octav. S. Stanislai Kostka Conf. P. R. P. Semiduplex.

In Primo Noctur. Lect. ex Dñica praced.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Sermone de Mar. quod aut imit. aut non laud. tom. 5.

Lectio IV.

QUi Sanctorum merita religiosa charitate miratur, quiq; justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos, atq; justitiam imitetur: quoniam, quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum DEI obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat: aut laudare non debet, si imitari detrectat: ut qui alium laudat, laudabilem se reddat: & qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. Nam si propterea justos, fidelesq; diligimus, quòd in ipsis justitiam, fidemq; suspicimus; possumus nos quoquè esse quod sunt, si faciamus ipsi, quod faciunt.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

NEq; enim difficile nobis est, quod ab ipsis geritur, imitari, cùm sinè præcedenti exemplo ab antiquis talia gesta conspicimus: ut non ipsi aliorum æmuli redderentur, sed æmulandæ virtutis se ipsos nobis præberent exemplum: ut, dum nos ex ipsis, & ex nobis alij proficiunt, sic CHRISTUS in suis semper servis in Ecclesia sancta laudetur. Unde ab origine mundi innocens Abel occiditur, Enoch DEO placens transfertur, justus Noe invenitur, Abraham fidelis probatur: Moyses mansuetus dignoscitur, Jesus castus, David lenis, Elias acceptus, Daniel sanctus, tres Pueri victores redduntur.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

APostoli discipuli CHRISTI, credentium magistri habentur: à quibus eruditi Confessores fortissimi pugnant, Martyres perfecti triumphant, & Christiani semper exercitus diabolum DEO armati debellant. In istis semper pares virtutes, dissimiles pugnæ, gloriosæ victoriæ. Unde tu Christiane delicatus es miles, si putas te posse sinè pugna vincere, sinè certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum, quod spopōdisti, conditi-

ditionem, quâ accessisti; militiam, cui nomen dedisti.

℟. Iste homo perfecit.

In Tertio Noctur. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri præcincti. *ex Secunda Die infra Octav. S. Hyacinthi Conf. P.R.P. legitur. fol. 126.*

TERTIA DIE

Infra Octav. S. Stanislai Kostka Conf. P. R. P. Semiduplex.

Omnia dicuntur ut in Tertia Die infrà Octav. S. Hyacint. fol. 127. Et sic deinceps singulis sequentibus Diebus hujus Octavæ, singuli Dies Octavæ S. Hyacinthi, mutato nomine respondeant. vid. fol. 128. usq; ad fol. 136.

DIE XVII. NOVEMBRIS.

In Festo B. Salomeæ Virginis. Duplex.

Officium totum de Communi Virgin. non Mart. exceptis 1mi Nocturni Lectionibus, quæ leguntur de Script. occur.

DIE XIX. NOVEMBRIS.

In Festo S. Elisabeth Viduæ. Duplex.

Omnia de Communi Sanctarum nec Virg. nec Martyr. præter Orationem, & Lect. Secundi Nocturni.

ORATIO.

TUorum corda fidelium DEUS miserator illustra; & Beatæ Elisabeth præcibûs gloriosîs fac nos prospera mundi despicere, & cælesti semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Comm. Dedicationis, & S. Pontiani Papæ & Mart.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

ELisabeth Andreæ Regis Hungariæ filia, ab infantia DEUM timere cæpit, & crescens ætate, crevit etiam pietate. Ludovico Landgravio Hassiæ, & Thuringiæ in conjugem copulata, non minori cura, quæ DEI, quàm quæ viri sui erant, exequebatur; surgens enim nocturno tempore orationi diu incumbebat, ac varijs misericordiæ officijs dedita: viduis, pupillis, ægrotis, egentibus sedulò inserviebat; graviq; fame urgente, domus suæ frumenta liberaliter erogabat. Leprosos hospitiô suscipiens, manus eorum, & pedes osculabatur. Curandis autem, & alendis pauperibus insigne xenodochium construxit.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

DEfuncto conjuge, ut DEO liberiùs serviret, depositîs omnibûs sæcularis gloriæ indumentîs, vili tunica induta est, atq; Ordinem Pænitentium S. Francisci ingressa, patientiæ, & humilitatis virtute maximè enituit. Nam bonis omnibus exuta, à proprijs ædibus ejecta, ab omnibus derelicta, contumelias, irrisiones, obtrectationes invictô animô toleravit, adeò; ut summoperè gauderet, se talia pro DEO pati. Ad infima quæq; mi-

nisteria erga pauperes, & ægrotos se abijciens, eis necessaria procurabat, solis oleribûs, & leguminibûs pro suo victu contenta.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

CUm verò in his, alijsq; pluribus sanctis operibus vitam religiosissimè transegisset, finis tandem suæ peregrinationis advenit, quem domesticis suis ante prædixit. Cùmq; defixîs in cælum oculîs divinæ contemplationi vacaret, à DEO mirabiliter recreata, & Sacramentîs refecta, obdormivit in Domino. Statimq; plurima ad ejus tumulum miracula patrata sunt. Quibûs auditîs, & ritè probatîs, Gregorius Nonus Sanctorum numero eam adscripsit.

℟. Fallax gratia.

In Tertio Nocturno, Homil. S. Gregorij Papæ in Evang. Simile est regnum cælorum thesauro, *ut in Communi non Virgin. 9. Lectio & comm. S. Pontiani P. M. dicitur.*

DIE XX. NOVEMBRIS.

In Festo S. Felicis de Valois Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis. Exceptis his, quæ hic sunt propria. In Hymno, Iste Confessor. *dicitur.* Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Felicem Cōfessorem tuum ex eremo ad munus redimendi captivos cælitùs vocare dignatus es: præsta quæsumus, ut per gratiam tuam ex peccatorum nostrorum captivitate, ejus intercessione liberati, ad cælestem patriam perducamur. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

FElix, Hugo antea dictus, & regali Valesiorum familia ortus in Gallia, ab ineunte ætate non levia dedit futuræ sanctitatis indicia, præsertim misericordiæ erga pauperes. Nam adhuc infantulus manu propria, ac si grandior esset, & judicij maturitate polleret; nummos egenis distribuit. Jam grandiusculus, solebat ex appositis in mensa dapibus ad ipsos mittere, & fermè eo, quod sapidius erat, obsoniô pauperculos pueros recreabat. Adolescens non semel vestibus se spoliavit, ut inopes cóóperiret, ab avunculo Theobaldo, Xamphanæ & Blesij Comite, vitam reo mortis impetravit, prædicens, hunc infamem hactenus sicarium, mox sanctissimis præditum moribûs evasurum: veridicum testimonium monstravit eventus.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

POst exactam laudabiliter adolescentiam, cæpit ex cælestis contemplationis studio solitudinem

co gi-

cogitare; priùs tamen voluit ſacris initiari, ut omnem regni, à cujus ſucceſſione jure legis Salicæ, non longè diſtabat, ſpem ſibi præcideret. Sacerdos factus, & primâ Miſsâ devotiſſimè celebratâ, non multò pòſt in eremum ſeceſſit, ubi ſummâ abſtinentiâ victitans, cæleſtium chariſmatum abundantiâ paſcebatur. Ibi cum S. Joanne de Matha Pariſienſi Doctore, à quo ex divina inſpiratione quæſitus & inventus, per aliquot annos ſanctiſſimè vixit; donec ambo per Angelum à DEO admoniti Romam petierunt, ſpecialem à Summo Pontifice vivendi regulam impetraturi. Factâ igitur Innocentio Papæ Tertio, inter Miſſarum ſolemnia revelatione Religionis, & Inſtituti de redimendis captivis, ab ipſo Pontifice, ſimul cum Socio, candidis veſtibûs, bicolori Cruce ſignatis induitur, ad eam formam quâ Angelus indutus apparuit: & inſuper voluit Pontifex, ut nova Religio juxta triplicem colorem, quo habitus conſtat, Sanctiſſimæ Trinitatis titulô decoraretur.

℞. Amavit eum Dominus.

Lectio VI.

REgulâ propriâ ex Summi Pontificis Innocentij confirmatione, acceptâ, in Diæceſi Meldenſi apud locum, qui Cervus Frigidus dicitur, primum Ordinis paulò antè à ſe & ſocio extructum Cœnobium ampliavit, ubi religioſam obſervantiam, & redemptionis inſtitutum mirificè coluit, ac inde per Alumnos in alias Provincias diligentiſſimè propagavit. Illuſtrē hic à Beata Virgine Matre favorem accepit; dormientibus ſiquidem cunctis Fratribus, & ad Matutinas preces in pervigilio Nativitatis Deiparæ media nocte recitandas, DEO ſic diſponente, non ſurgentibus; Felix de more vigilans, & horas præveniens, chorum ingreſſus, reperit Beatam Virginē in medio chori, habitu Cruce Ordinis inſignito indutam, ac Cælitibus ſimiliter indutis ſociatam. Quibus permixtus Felix, præcinēte Deipara, laudes Divinas concinuit, riteq; perſolvit. Et quaſi jam à terreſtri ad cæleſtem Chorum evocaretur, inſtantis mortis ab Angelo certior factus, Filios ad charitatem erga pauperes & captivos adhortans, animam DEO reddidit, ætate ac meritis conſummatus, annô poſt Chriſtum natum, ducenteſimô duodecimô ſupra milleſimum, ſub eodem Pontifice Innocentio Tertio.

℞. Iſte homo.

In Tertio Nocturno. Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri in Evangelium.

Nolite timere puſillus grex. *de Communi Confeſſoris non Pontificis.*

OFFICIA PROPRIA SANCTORVM AD LIBITVM.

DIE XIX. JANUARIJ.

In Festo S. Canuti IV. Regis Martyris. Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui ad illustrandam Ecclesiam tuam B. Canutum Danorum Regem martyrij palmâ, & gloriosis miraculis decorare dignatus es; concede propitius, ut sicut ipse dominicæ Passionis imitator fuit, ita nos per ejus vestigia gradientes, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Per eumdem Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

CAnutus Quartus Suenonis Esthritij Danorum Regis filius, fide, pietate, & morum honestate conspicuus, eximiæ sanctitatis à teneris annis specimen dedit. Paternum sceptrum summa omnium acclamatione adeptus, Religioni promovendæ sedulò incumbere, Ecclesias redditibus augere, & pretiosa supellectili ornare cæpit. Tum zelô propagandæ fidei succensus, barbara regna justo certamine aggressus, devictas subditasq; nationes Christianæ legi subjugavit. Victoriis autem plurimis gloriosus, & divitiis auctus regale diadéma ad Christi crucifixi pedes abjecit, se & regnum illi subijciens, qui Rex regum est, & Dominus dominantium. Corpus suum jejunijs, cilicijs & flagellis castigavit. In oratione, & contemplatione assiduus, erga pauperes profusus, erga omnes beneficus semper fuit, nec umquam à justitiæ Divinæq; legis semita deflexit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

HIs alijsq; virtutibus imbutus, ad supremum perfectionis apicem sanctus Rex properabat. Accidit autem ut Angliæ Regnum, à Wilhelmo Normannorum Duce formidabili exercitu invaderetur, Anglis verò Danorum opem implorantibus cùm succurrere Rex decrevisset, belli expeditionem Olao fratri commisit, qui regnandi cupiditate illectus, arma vertit in Regis perniciem, militibus & populo contra illum concitatis. Nec defuerunt rebellioni fomenta; cùm

cùm enim Rex editis legibus decimas Ecclesijs solvi, DEI & Ecclesiæ præcepta servari, transgressores puniri sanxisset, pleriq; perversi ac scelerati homines exacerbati, primùm quidem tumultuari, tùm plebem commovere, ac tandem sanctissimo Regi necem moliri cœperunt.

℟. Desiderium animæ.

Lectio VI.

SCiens igitur Rex, futurorum præscius, mortem sibi propter justitiam imminere, ea prænuntiata ad Ecclesiam S. Albani Martyris Othoniæ tamquam ad locum certaminis profectus est, & Sacramentis munitus, agonem suum Domino commendabat. Mox ibi adveniens conjuratorum multitudo Ecclesiæ ignem admovere, fores confringere, & in eam irrumpere tentârunt. Quod cùm perficere non possent, ad fenestras accedentes, saxa, & sagittas in sanctum Regem flexis genibus pro inimicis orantem magno impetu jaculari non cessârunt, donec lapidum, & telorum ictibus, ac tandem lanceâ confossus, gloriosô martyriò ante altare extensis brachijs procumbens coronatus est, sedente in Apostolico throno Gregorio Septimo. Multis postea miraculis Martyrem suum illustravit DEUS: nam gravi penuria, & diversis calamitatibus oppressa Dania patrati sacrilegij pœnas luit. Plures etiam varijs languoribus afflicti, ad ejus tumulum remedium, & incolumitatem consequuti sunt, cùmq; Regina sacrum ejus corpus noctu clàm surripere, & aliò trãsferre conaretur, emisso cœlitùs ingenti splendore perterrita, à proposito cessavit.

℟. Stolâ jucunditatis.

In Tertio Nocturno, Homiliâ S. Gregorij Papæ in Evangel. Si quis vult post me venire. *de Communi unius Martyris.*

DIE V. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Laurentij Iustiniani Episc. & Confess. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter Lectiones secundi Nocturni. in Hymno, Iste Confessor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO.

DA, quæsumus omnipotens DEUS, ut Beati Laurentij Confessoris tui atq; Pontificis venerãda solemnitas, & devotionem nobis augeat & salutem. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

LAurentius ex illustri Justinianorum familia Venetiis natus, eximiam vel puer morum gravitatem præ se tulit. Exacta inter pietatis officia adolescentia ad castum Verbi, & Animæ connubiũ

à Divina Sapientia invitatus, de religiosæ vitæ instituto capessendo deliberare cæpit. Novæ itaq; militiæ clàm proludens, præter alias corporis afflictationes, super nudos cubabat asseres, sedensq; velut arbiter hinc inter sæculi blandimenta, paratasq; à Matre nuptias; illinc claustrales inter austeritates, oculis in Christi patientis Crucem conversis, Tu (inquit) es Domine spes mea, ibi posuisti certissimum refugium tuum; ad Canonicorum sancti Georgij in Alga Congregationem convolavit, ubi novis excogitatis cruciatibus acriùs in seipsum, veluti in hostem infensissimum, instaurans bellum, nullam adeò sibi oblectationem indulgebat, ut ne in domesticum umquam hortum, nec in paternam quidem domum, nisi cùm morienti Matri extrema pietatis officia siccis oculis persolvit, exindè intraverit. Par erat obedientiæ, mansuetudinis, ac præcipuè humilitatis studium, cùm abjectissima quæq; cœnobij munia sibi ultrò desumeret, celeberrima per Urbis loca, non tam victum, quàm ludibria emendicaret, illatasq; contumelias, ac calumnias, immotus ac silens perferret; assiduæ præsertim orationis subsidio, qua sæpè per mentis excessum rapiebatur in Deum, tantoq; cor ejus æstuabat ardore, ut nutantes etiam Sodales ad perseverantiam, ac Jesu Christi amorem inflammaret.

℟. Inveni David.

Lectio V.

AB Eugenio Quarto patriæ Episcopus designatus, quem magna contentione honorem detrectaverat, majori gessit cum laude, nam consueta vivendi ratione nihil admodùm immutata, paupertatem, quam semper coluerat, in mensa, supellectili, ac lecto perpetuò retinuit; modicam domi alebat familiam, quòd grandem alteram sibi esse diceret, pauperes Christi significans. Quacunquè adiretur horâ, præstò omnibus erat paterna omnes charitate allevabat, non renuens, vel ære se alieno gravare, dum illorum ne inopiæ deesset; rogatus qua spe id faceret? Domini mei, qui pro me dissolvere facilè poterit, respondebat. Spem autem non confundere Divina Providentia submissis inopinatò subsidijs jugiter declarabat. Plura Virginum Monasteria construxit, quas etiam ad perfectioris vitæ rationem suâ vigilantiâ composuit. Matronis à sæculi pompis, & ornatûs vanitate revocandis, Ecclesiasticæ disciplinæ, ac moribus reformandis maximoperè studuit; dignus sanè qui ab eodem Eugenio gloria, & decus Præsulum coram Cardinalibus vocaretur, & qui à Nicolao V. ejus Successore, translatò è Gradensi civita-

vitate titulô, Primus Venetiarum Patriarcha, renuntiaretur.

℟. Posui adjutorium.

Lectio VI.

LAcrymarum donô insignitus, omnipotenti DEO placationis hostiam quotidie offerebat, quod cùm aliquando nocte Dominicæ Nativitatis perageret, CHRISTUM JESUM sub pulcherrimi infantis specie videre promeruit; tantumqué in eo erat commissi Gregis præsidium, ut cœlitùs aliquando acceptum fuerit, Pontificis sui intercessione ac meritis stetisse Rempublicam. Prophetiæ spiritu afflatus, plura humanæ cognitioni prorsùs impervia prædixit; morbos ac dæmones suis precibus sæpè fugavit: libros etiam cælestem doctrinam, ac pietatem spirantes, Grammaticæ penè rudis, conscripsit. Deniq; cùm lethalem incidisset in morbum, & commodiorem domestici lectum seni, atq; ægro pararent, aversatus ejusmodi delicias, tāquam à durissima morientis Domini sui cruce plus nimio abhorrentes, consueto in stramine se jussit deponi, & finem vitæ suæ adventare prænoscens, sublatis in cælum oculis; Venio (inquit) ad te ô bone JESU; ac die octava Januarij obdormivit in Domino. Pretiosam ejus mortem testati sunt Angelici concentus, à Carthusianis quibusdam Monachis auditi; & sacrum cadaver per duos ultra menses inhumatum, suavi fragrans odore, & rubescente facie integrum, atq; incorruptum; ac nova post mortem patrata miracula, quibûs permotus Alexander Octavus Pontifex Maximus, eum Sanctorũ numero adscripsit; Innocẽtius verò Duodecimus quintam Septembris diem, quâ vir sanctus ad Pontificiam primò Cathedram fuerat evectus, celebrando illius festo assignavit. ℟. Iste est.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Evang. Homo peregrè proficiscens. *ut in Communi Confessoris, Pontificis.*

DIE I. OCTOBRIS.

In Festo S. Remigij Episcopi & Confessoris, Semiduplex. In Hymno. Iste Confessor. *mutatur tertius Versus.*

ORATIO.

DA, quæsumus, omnipotens DEus: ut B. Remigij Confessoris tui, atq; Pontificis veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

REmigius, Episcopus Rhemensis, floruit Clodoveo Rege Francorum, quem etiam baptizavit, & primus omnium doctrinâ, & miraculis Francos ad Christi Domini fidem perduxit. Ejus oratione

one mortua puella revixit. Multos interpretatus est Divinæ Scripturæ libros. Ampliùs septuaginta annos summa cum laude Rhemensem Ecclesiam administravit. Cujus vitæ & mortis sanctitatem multa, quæ consecuta sunt, miracula comprobârunt.

℟. Inveni David.

Lectio V. & VI. de Sermone S. Maximi Episcopi. Ad Sancti & beatissimi Patris nostri Remigij, *ut in Communi Conf. Pontif.*

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Evangel. Homo peregrè proficiscens. *cum reliquis de Cõmuni Confessoris Pontificis.*

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Cùm subsequentia Officia, à Summis Pontificibus ordinata, Ecclesiam Vniversalem non obligent, utpotè in certis quibusdam Regnis & Provinciis ex indulto eorumdem recitanda, hìc in fine, extra aliorum ordinem pro majori recitantium commoditate, eadem addenda putavi.

DIE XVI. AUGUSTI.

In Festo S. Rochi Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui es gloriosus in gloria Sanctorum, qui cunctis ad eorum patrocinia confugientibus suæ petitionis salutarem præstas effectum: concede plebi tuæ, ut intercedente B. Rocho Confessore tuo, quæ in ejus commemoratione se devotam exhibet, à languore epidemiæ, quam in suo corpore pro tui nominis gloria passus est, sit libera, & tuo nomini semper sit devota. Per Dominum.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

BEatus Rochus monte Pessulano Narbonensi Galliæ civitate non ignobili, olim Agatha seu Agathapolis dicta, natus, jam ab ipso partu cælesti futuræ sanctitatis signô est insignitus, nimirum Parentes ejus Joannes & Libera longæva ætate provecti, & antea steriles votô conceptô, ac frequentissimis precibus filium hunc tandem impetrârunt, quem nascentem, novo miraculo rubea Cruce in pectore insignitum, Parentes ipsi, viciniq; omnes sunt admirati; expectationem cælestis augurij Rochus non fefellit. Ecce enim adhuc infantulus maternæ pietatis imitator, quartæ ac sextæ feriarum cujusq; hebdomadæ jejunio

quo

quo fuerat conceptus, etiam nondum rationis compos, voluit enutriri. Mortuo paulò pòst utroq; Parente, amplissimi Patrimonij hæres unicus, & civitatis ipsius supremus dominus, ac moderator relictus, qui infans jam virilî abstinentiâ sese materno ab ubere depulerat, fortiori longè humanarum rerum contemptu, vir factus, Patriam bonaq; omnia & dignitates paternas nedum deseruit, sed contempsit. Inde immortalem Patriam propriâ contemptâ quæsiturus, dum sciret ex Apostolo, permanentem civitatem nos hìc nullam habere, sed futuram inquirere, loca sanctiora, & toto terrarum orbe sanctitatis vestigijs celeberrima, cæpit pedes invisere. Primùm Aquampendentem Italiæ urbem appulit, & ecce hac in civitate primam erga infirmos exercendæ charitatis nactus occasionem B. Rochus, cùm tota ferè civitas pestilentiæ morbô contabesceret, afflictis contagiosa lue hominibus sublevandis, totum se adjecit.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

INde civitate à morbo epidemiæ liberata, primùm Cænosam, deinde Placentiam, & vicinas Italiæ urbes peragravit, mira ubiq; exercens opera charitatis, ac præsertim supra humanas vires Divina virtute, & curationum frequentioribus signis toto illo in orbe celeberrimus. Inter quæ illud accidit, quòd Romam ad purpurei Senatus Principem quendam (Cardinalem dicunt) vocatus, tum peste laborantem, signô Crucis in fronte ægrotantis impressô, protinùs sanavit, aliaqué quàm plurima inibi in tota ferme Italia sanitatum miracula edidit sanctissimus Peregrinus. Enimverò probatissimi alioquin, & gratissimi DEO & hominibus viri, necesse fuit, ut patientiam probaret tentatio. Quamobrem in Italia primùm gravi febre ei infixa, Divina permissione sagittæ vulnere percussus, omni ope humana destitutus, sub arbore jacuit; cui, ut olim Christo ipsi apparuit Angelus confortans eum, eundemq; per id tempus canis, sumpto de mensa Domini pane quotidiano pavit, non instinctu naturali, sed ejus jussu, qui corvis ministrantibus Prophetas suos enutrivit; & sitienti populo fontem aquæ è rupe durissima eduxit.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

INde in Patriam redeuntem, novissima sed longè graviori tentatione Sanctum suum Domin' mirificavit. Illum enim vili in habitu, quem Evangelicæ paupertatis æmulatione induerat deprehensum cives Montepessulani tanquam Patriæ proditorem, aut exploratorem, in carcerem detrudunt. Illic postremus fuit, at certè ad merito-

rum augmentũ gloriosissimus Christiani Antagonistæ cum mundo, & cum dæmone conflictus, dum illum sibi jure hæreditario debiti civitatis Montepessulanæ dominij contemptu, hunc verò per proprios cives & parentes exasperantes adversùs Sanctum mirâ tot injuriarum tolerantiâ superat ac devincit. Tandem longè misericordissimus DEUS, qui militem suum totô jam quinquenniô cum concupiscentia mundi & superbia vitæ conflictantem è cæli specula intuebatur, priùs Angelica visitatione confortatum solo educit cælo donandum; quem Oecumenici Constantiensis Patres elata ejus in solenni supplicatione imagine; omnesq; toto terrarum orbe populi Christiani, in publica pestilentiæ clade, adeò propitium advocatum sunt experti; ut tot miraculorum frequentia, & unanimi Orthodoxæ Ecclesiæ consensu firmata ejus sanctitate, & aræ sanctissimo Confessori erectæ & supplicationes publicæ fuerint institutæ. Illumq; plebs Christiana velut cælo jam beatum, jure meritò veneratur.

℟. Iste homo.

Lect. Tertij Noct. de Communi Apostol. sumi debent. Homil. super Evang. Ecce nos reliquimus omnia.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ.

Omnia de Communi Virgin. præter ea quæ sequuntur.

ORATIO.

Exaudi nos DEUS, salutaris noster, ut, sicut de Beatæ Rosaliæ Virginis tuæ festivitate gaudemus; ita piæ devotionis erudiamur affectu, & ejus intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Per.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Rosalia Virgo, orta Panormi, ex nobili genere, suam originem trahens, à Carolo Magno, in Quisquinæ montem quadraginta circiter mille passibus distantem sola secedens, paternæ domus opes, delicias, ac spem majoris amplitudinis, ob propinquitatem, & benevolẽtiam Regnum Siciliæ contemnens, cum tetricæ rupis horrore & asperitate commutavit: indq; antrum, cui tunc unicus, & quidem angustus aditus è superiori loco patebat, intrepidè descendit ea mente, quam characteribus saxo insculptis adhuc patentibus expressit: Ego Rosalia Sinibaldi Quisquinæ & Rosarum domini filia, amore Domini mei JESU Christi, in hoc antro habitare decrevi. Qua inscriptione oculis obversante, susceptæ vitæ propositum altiùs cordi infigere, ac divinæ benevolentiæ signa ad castissimæ men-

mentis blandimenta vicissim provocare consuevit.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

IN hac specu subterranea, sibi & mundo emortua, consepultaque JESU Christo, ut soli DEO viveret, diu noctuq; latuit, cavens præcipuè in montibus paterni Principatus, ne fortè agnita in domum, urbemq; Patriam abduceretur invita. Callidas dæmonum insidias, quæ asperæ vitæ tædium, & solitudinis horrorem animo ingerebant, acriter sæviendo in se, ferrea catena, vigilijs, & humi cubatione, forti animo superasse antiquæ icones significant. Cùmq; humanis destituta præsidijs, nihil solatij aliunde hauriret, quàm è cælo, Dominus, qui consolatur & coronat Sanctos suos, Angelicis delicijs illam, sæpiùs recreabat.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

CÆlesti deinde consilio ex antro Quisquinensi, in horridiorem speluncam Peregrini montis, tribus ferè mille passibus procul Panormo Rosalia se transtulit, ut quò difficiliorem pugnam secum ipsa committeret è conspectu domûs paternæ, eò laudabiliùs de contemptis mundi illecebris triumpharet. Latebat ibi ad partem lævam angustus concavus, quem eadem post repertas ejus reliquias, illuc venanti; cui se videndam præbuit, dixit esse suam cellam peregrinam, ubi multum ætatis exegisset. Hic tanquam columba in foraminibus petræ gemens, in cælestium rerum contemplatione defixa, ad perfectissimam Divini amoris normam in solitudine vitam traduxit, & sanctissimè perennibus charitatis rosis, & virginitatis lilijs coronata, deposuit pridie Nonas Septembris. Cujus corpus Urbano Octavo Pontifice Maximo, divinitus, annô Jubilæi totius Siciliæ plausu repertum, illam à peste liberavit.

℟. Afferentur Regi.

In Tertio Nocturno, Homilia S. Gregorij Papæ in Evangel. Simile erit Regnum cælorum decem Virginibus. *ùt in Communi Virginum.*

DIE XXI. OCTOBRIS.

In Festo SS. Vrsulæ & Sociar: VV. MM.

Omnia de Communi Virginum, præter ea quæ sequuntur.

O R A T I O.

DA nobis quæsumus, *ùt in Communi Virginum.*

Ad Matutinum Hymnus.

VIrginis proles opifexq; Matris
Virgo quę gessit peperitq; Virgo
Virginum partos canimus decora
Morte triumphos.

Hæc cohors palmæ duplicis beata
Sorte, dùm gestit fragilem domare
Corporis sexum domuit cruentum
Cæde tyrannum.

Unde nec mortè, nec amica mortis
Mille

Mille pœnarum genera expavescens
Sanguine effuso meruit serenum
Scandere cælum.
Hujus ergo nos precibus cohortis
Expia à pœnis scelerum, Redēptor
Ut tibi puro resonemus almum
Pectore carmen.
Sit decus Patri genitæq; Proli
Et tibi compar utriusq; virtus
Spiritus semper Deus unus omni
Temporis ævo. Amen.

In Primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

VRsula, sanctitate, sapientia & pulchritudine insignis, filia unica Regis Britāniæ Christianissimi fuit. Quam cùm Rex Angliæ gentilis, idemq; potentissimus, filio suo, missis eò solennibus nuntijs, uxorem expeteret, ipsâ divinitùs præmonitâ, persuasit Patri, ut nuptijs consentiret, ea conditione ut Rex ille & Pater decem primævæ ætatis virgines, & forma & genere lectissimas perquirerent, & tàm sibi quàm singulis illarum mille alias virgines honestissimas cōsociarent: comparatisq; ad numerum ipsarum undecim triremibus, inducias triennij sibi darent, ad dedicationem virginitatis suæ, ipse quoq; juvenis sacrô renovatus lavacrô, in fide Christi interim instrueretur.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

EX hoc condicto, virginibꝰ, triremibus, viris pro comitatu & sumptibus præter spem celeriùs cōparatis, per triennium belli præludia, multis undiq; confluentibus, ab ipsis celebrata sunt. Tandem cum Ursula, omnes virgines socias suas, ad Christum conversas, tàm verbis, quàm exemplis, ad castitatis propositum erudisset, sub unius diei noctisq; spatio, ventô prosperô ad portum Galliæ Tila, & indè Coloniam delatæ sunt; & ex eo loco Angelica visione instructæ, Basileam applicuerunt, relegâtisq; ibi triremibus, pedestri itinere Romam venientes, magno applausu Cleri & populi exceptæ sunt.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

UBi cùm per aliquot dies perlustratis diversis Sanctorum liminibus, pervigiles in oratione, DEO animas suas commendâssent; peractis votis, itinere quo venerant, Coloniam sunt reversæ, ab Hunnis jam undiqué obsessam. Qui totam illam sanctam multitudinem, cui etiam sponsus Eleutherius se junxerat, immaniter trucidârunt. Coloniam sanguine, & sepulturâ eorum clariorem reddentes. Post omnes verò candidissimi exercitus Regina, dùm Principi Hunnorum in Matrimonium consentire nollet, ictu sagittæ transverberata, super nobilem comitum suarum acervum, velut cæleste margaritum corruit. ℟. Afferentur.

In Tertio Nocturno Homil: in Evang. de Decem Virginibus.

INDEX

INDEX OFFICIORVM
Uniuscujusq; Feſti
SANCTORVM & SANCTARVM
DE PRÆCEPTO.

Cc Die 10.

Die

Cc 2 Die 8.

ORATIO
Beati Joannis Cantii

Da quæsumus Omnipotens et misericors Deus, ut Beati Joannis Confessoris tui exemplo misericordiam aliis exhibentes, meritis ejus apud te misericordiam consequamur. Per Dnum

ORATIO
De S. Stanislao Kostka

Deus qui inter cætera Sapientiæ tuæ miracula etiam in tenera ætate maturæ Sanctitatis gratiam contulisti; da quæsumus ut Beati Stanislai exemplo, tempus instanter operando redimentes, in æternam ingredi requiem festinemus. Per Dnum etc.